DE XENOPHONTIS
HISTORIAE GRAECAE
PARTE PRIORE

(Quae continet l. I et l. II capp. 1—3, s. 10.)

DISSERTATIO CHRONOLOGICA

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

AUCTORITATE

PRO OBTINENDA VENIA LEGENDI

DIE XXVIII. MENS. JUNII A. MDCCCLVI

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO JURIDICO

PUBLICE DEFENDET

AEMILIUS H. O. MÜLLER

PHIL. DR. ARTT. LIBB. MAG.

LIPSIAE

PROSTAT APUD A. EDELMANNUM

BIBLIOPOLAM UNIVERSITATIS.

THEODORO BERGK

GRATO ANIMO

D. D. D.

Auctor.

SUMMARIUM.

S. I. Xenophontis Historiam Graecam duabus partibus diverso consilio scriptis constare. —
S. II. Priorem partem complecti librum I et libri II. cap. 1. 2. 3. usque ad s. 10. —
S. III. Priorem partem ex commentariis a Thucydide relictis confectam et una cum libris Thucydidis editam esse. —
S. IV. Olympiades et nomina ephororum archontumque ad singulos annos signandos ab interpolatore adjecta esse. —
S. V. Catalogum ephororum qui l. II, c. 3, s. 10. legitur, genuinum esse. —
S. VI. Quae l. I, c. 3, s. 1. et c. 6, s. 1 de templorum incendiis et de luna defectione memorantur, suspecta esse. —
S. VII. Annorum numeros qui l. I, 3, 1; 6, 1; l. II, 1, 7. leguntur suspectos esse. —
S. VIII. Quae sub finem quorundam annorum de rebus Siciliae et Persiae referuntur, cur universa in suspicionem trahantur nullam idoneam caussam esse. —
S. IX. Verba quibus novi anni initium plerumque notatur: τῷ δ'ἐπιόντι ἔτει et similia (I, 2, 1; 3, 1; 6, 1; II, 1, 10; 3, 1.) genuina esse. —
S. X. Examinantur argumenta quibus usus est Dodwell, ut caput primum libri primi annos belli 21um et 22um complecti probaret. —
S. XI. Contraria argumenta Haackii et Krügeri examinantur. —
S. XII. Refutatur Haackii computatio annorum 23. 24. 25. 26. Demonstratur, Xenophontem omnes annos a vere ad ver deduxisse; nauarchos Lacedaemoniorum Lysandrum et Callicratidam vere, non auctumno, imperium suscepisse.
S. XIII. Computationes Herbstii et Peteri refutantur. Inter ver illud, quo Pharnabazus Gordio profectus est, (l. I, 4, 2) et adventum Callicratidae (I, 6, 1), unum modo annum interfuisse ostenditur.
S. XIV. Dindorfii computatio refutatur. Ostenditur, inter adventum Callicratidae et alterum adventum Lysandri (II, 1, 10) unum modo annum interfuisse; Callicratidam vere 406 nauarchum factum esse, Alcibiadem vere 407 Athenas revertisse.

(I). Xenophontis Historiam Graecam duabus partibus constare diverso consilio scriptis et ratione diversa dispositis, quum alii docti homines intellexerunt tum qui omnium optime de ea re exposuit Carolus Peter [1]). Etenim in secunda quidem operis parte, qua narratur historia Graeciae sub dominatu Lacedaemoniorum, id potissimum spectat scriptor ut afferat exempla justitiae deorum, virtutis imperatoriae, prudentiae civilis, morum aut honestatis aut pravitatis, multisque locis quid ex rerum eventu disci possit, ipse lectores commonet; ordine autem rerum utitur liberiore, annorum seriem non anxie servat nec adnotat singulorum initium, sed saepe res compluribus annis eadem regione vel iisdem copiis gestas eodem tenore persequitur, priusquam ad ea quae alii alibi interea gesserint enarranda redeat. Contra pars prior qua historia belli Peloponnesiaci inde ab auctumno anni a. Chr. 411, ubi substiterat Thucydides, usque ad exitum deducitur, in modum annalium composita est: ordine temporum, quae singulis annis gesta sint, deinceps referuntur, tanta interdum narrationis brevitate et exilitate, ut nec quibus causis facta sint quae memorantur, nec quomodo facta sint, nec quid inde consecutum sit satis perspiciatur. Nusquam ipse scriptor suo nomine loquitur, nusquam de rebus disputat: pauca modo quae vel fortiter et prudenter, vel incaute, vel insidiose, vel crudeliter gesta sunt, paulo uberius exponit, sed ne tum quidem — quasi res ipsae satis loquantur — diserte dicit quae commendanda quae vituperanda sibi visa sint. Duas eas operis partes Barth. Georg. Niebuhr [2]) existimavit diverso tempore et scriptas et editas esse, priorem brevi postquam Xenophon ex Asia redierit, alteram post annum 359 vel 357 a. Chr. n. [3]), ut male nunc contra auctoris voluntatem eodem volumine conjungantur. Cujus opinionis documenta praeter alia, quae vel minoris vel nullius momenti sunt [4]), attulit locum Marcellini, ubi Xenophon dicitur Thucydideae historiae supple-

---

1) Commentatio critica de Xenoph. Hellenicis. Hal. 1837. Cf. praeterea Breitenbach prolegg. ed. Hist. Gr. p. V. sq. XI. sq. —

2) Rhein. Mus. 1827. p. 195 sq. —

3) Vid. Xen. H. Gr. VI, 4, 37. Diod. XVI, 14; Clinton Fasti Hell. II. ad ann. 359; Krüger Histor. philol. Stud. II, p. 283. —

4) Cf. Krüger, Histor. philol. Studien I, p. 245 sq. —

menta scripsisse iisque suam Historiam Graecam adjunxisse (sive addidisse)[1]). Huic loco Krüger et Peter[2]) compararunt locum Dionysii Halicarnassensis[3]) qui Xenophontis Historiam Graecam una cum supplementis Thucydideis tamquam tertium ejus opus historicum componit cum Cyropaedia et expeditione Cyri: — „τὰς — ὑποθέσεις τῶν ἱστοριῶν ἐξελέξατο καλὰς — τήν τε Κύρου παιδείαν — καὶ τὴν Ἀνάβασιν τοῦ νεωτέρου Κύρου — καὶ τρίτην ἔτι τὴν Ἑλληνικὴν καὶ[4]) ἣν κατέλιπεν ἀτελῆ Θουκυδίδης, ἐν ᾗ καταλύονταί τε οἱ τριάκοντα, καὶ τὰ τείχη τῶν Ἀθηναίων, ἃ Λακεδαιμόνιοι καθεῖλον, αὖθις ἀνίστανται.“ Jam antiquitus igitur duae illae partes conjunctim editae erant etsi posterior praecipue Historia Graeca appellabatur. Quare, cum praesertim nunc ea sit libri conditio ut non sine vi illae partes tamquam diversa opera prorsus separari possint, tutissimum est sequi conjecturam quam Krüger[5]) proposuit: Xenophontem principio quidem priorem modo partem ut supplementum Thucydidis edidisse, postea autem, quum reliquos libros conscripsisset, hos ita ut unum cum illa corpus efficerent ei adjunxisse.

(II). Verum dubitari potest ubinam prior universi operis pars desinat altera incipiat? Qui quidem adhuc de re illa egerunt, quantum scio, omnes putarunt duos priores Historiae Graecae libros ad partem priorem pertinere, quae ita non modo reliquos annos belli Peloponnesiaci sed etiam triginta virorum dominatum atque exitum complecteretur; atque L. Breitenbach duos priores libros etiam edidit separatim et inscripsit: „Xenophontis de postremis belli Pelloponnesiaci annis libri duo“. Sed ut omnino ea quae nunc est septem librorum descriptio male facta neque ab ipso Xenophonte instituta videtur[6]), ita etiam illud a doctis viris perperam statui, rectius autem libro I et libri II capp. 1. 2. 3. usque ad s. 10 partem priorem definiendam esse existimo. Qua si Xenophon explere volebat imperfectum opus Thucydidis, non est verisimile eum ultra finem belli Peloponnesiaci progressum esse; hunc enim historiae terminum sibi proposuerat Thucydides[7]). Nullius momenti est quod ne sic quidem supplementi Xenophontei circumscriptio cum instituto Thucydidis prorsus convenit, quum Xenophon quasdam res aestate a. 404 gestas paucis verbis memorans, historiam belli ad Sami deditionem reditumque Lysandri deduxerit atque ita septem et viginti annis quos Thucydides numerat unum semestre adjecerit; ita enim a Spartanis amicis suis edoctus rectius

---

1) Marcellin. vita Thucyd. s. 45: „Ἀπέθανε (Thucydides) — συγγράφων τὰ πράγματα τοῦ εἰκοστοῦ καὶ πρώτου ἐνιαυτοῦ· — τὰ δὲ τῶν ἄλλων ἓξ ἐτῶν πράγματα ἀναπληροῖ ὅ τε Θεόπομπος καὶ ὁ Ξενοφῶν, οἷς συνάπτει τὴν Ἑλληνικὴν ἱστορίαν.“

2) l. l. p. 70. —

3) Epist. ad Cn. Pompej. IV, 1. —

4) Non bene Krüger particulum καὶ uncis inclusit. Cf. Peter l. l. —

5) l. l. p. 264. —

6) Cf. Krüger l. l. p. 259. —

7) V, 26: „γέγραφε — ταῦτα — Θουκυδίδης — μέχρι οὗ τήν τε ἀρχὴν κατέπαυσαν τῶν Ἀθηναίων Λακεδαιμόνιοι καὶ οἱ σύμμαχοι καὶ τὸν Πειραιᾶ κατέλαβον“, quod factum est vere anni 404. 16. d. Munychionis mensis (Plut. Lys. 15) qui convenit cum 25. fere die Aprilis Juliani. —

belli exitum definire sibi visus est. Sed in universum exemplo Thucydidis suum opus descripsit: disposuit res gestas secundum belli annos a vere ad ver proximum pertinentes, et ubi novum annum inciperet diserte plerumque indicavit usus verbis *καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγε*[1]) vel *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει*[2]); omisit tantum, singulos annos sicut Thucydides fecerat in dimidias partes, aestiva et hiberna semestria, dividere[3]). At ubi ad finem belli pervenit, loco quem diximus, l. II c. 3, s. 10., subsistit scriptor, commemorat quamdiu duraverit bellum, repetit ex Thucydide quoto anno a pace triginta annorum et quo ephoro inchoatum sit[4]), denique addit nomina viginti octo ephororum qui post illum in magistratu fuerint usque ad Eudicum „*ἐφ' οὗ Λύσανδρος πράξας τὰ εἰρημένα οἴκαδε κατέπλευσεν.*“ Ab hoc loco pars altera operis quae proprie Historia Graeca vocabatur incipit. Sequentis statim anni initium non est notatum. Ipsum dicendi genus inde fit expeditius, ubi incalescit scriptor, alacrius, interdum vero etiam paulo remissius. Jam non veretur ipse, ut ita dicam, in conspectum lectorum prodire[5]), de hominum ingeniis et moribus judicare et quid de male aut honeste factis sentiat aperire[6]), quae fuerint secreta

---

1) I, 1, 37; 2, 19; 5, 21; II, 2, 24.

2) I, 2, 1; 3, 1; 6, 1; II, 1, 10; 3, 1. —

3) verba *θέρος, χειμών, ἔαρ* ubi apud Xenophontem reperiuntur, non, ut apud Thucydidem, sunt vocabula ut ita dicam technica, senorum mensium spatium complexa (Thuc. V, 20.; cf. dissert. mea „de tempore quo bellum Pelop. initium ceperit“ p. 8. sq.); sed vulgares anni temporum appellationes, nullo certo dierum numero definitae, quemadmodum nos quoque vocabulis vernaculis *Sommer*, *Winter*, *Frühling* plerumque utimur. Tantum ver, cujus initium Graeci a Martio fere mense repetere solebant, ita interdum a Xenophonte memoratur quasi novus belli annus cum eo inceperit, (I, 3, 1; 4, 2; vid. quae infra de hoc loco dicemus); aestatis autem initium incidit in Majum Juliani anni. Cf. initium cap. 2. l. I: „*τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει — Ἀθηναῖοι μὲν Θόρικον ἐτείχισαν* (hoc vere factum videtur), *Θρασύλος δὲ — ἐξέπλευσεν ἀρχομένου τοῦ θέρους εἰς Σάμον*“. quod ad exeuntem fere Majum referendum esse infra videbimus. Contra Thucydides aestatem suam incipit circa aequinoctium vernum (vid. dissertat. meam p. 26 sq.), quum ver, quod sensu vulgari et ipse usurpat, aut simul cum aestate aut paucis diebus antea incipere soleat (l. l. p. 9.). —

4) l. II, 3, 10: „*ἐν οἷς ἔφοροι οἱ ἀριθμούμενοι οἵδε ἐγένοντο· Αἰνησίας πρῶτος, ἐφ' οὗ ἤρξατο ὁ πόλεμος, πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει τῶν μετ' Εὐβοίας ἅλωσιν τριακονταετίδων σπονδῶν*“ Cfer. Thucyd. II, 2: „*Τέσσαρα μὲν γὰρ καὶ δέκα ἔτη ἐνέμειναν αἱ τριακοντούτεις σπονδαὶ αἳ ἐγένοντο μετ' Εὐβοίας ἅλωσιν· τῷ δὲ πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει, ἐπὶ — Αἰνησίου ἐφόρου ἐν Σπάρτῃ κτλ.*“ —

5) II, 4, 43: „— *καὶ ὀμόσαντες ὅρκους ἦ μὴν μὴ μνησικακήσειν, ἔτι καὶ νῦν ὁμοῦ τε πολιτεύονται καὶ τοῖς ὅρκοις ἐμμένει ὁ δῆμος.*“ —

6) II, 3, 12: „*ἔπειτα πρῶτον μὲν οὓς πάντες ᾔδεσαν ἐν τῇ δημοκρατίᾳ ἀπὸ συκοφαντίας ζῶντας καὶ τοῖς καλοῖς καὶ ἀγαθοῖς βαρεῖς ὄντας, συλλαμβάνοντες ὑπῆγον θανάτου· καὶ ἥ τε βουλὴ ἡδέως αὐτῶν κατεψηφίζετο οἵ τε ἄλλοι ὅσοι ξυνῄδεσαν ἑαυτοῖς μὴ ὄντες τοιοῦτοι οὐδὲν ἤχθοντο*“, ubi advertas verbum *ᾔδεσαν*, pro quo in priore quidem parte dixisset *τοὺς δοκοῦντας ζῆν* vel ejus generis aliquid. — Deinde c. 3, 17: „— *ἀποθνησκόντων πολλῶν καὶ ἀδίκως*“ *κτλ.* — 3, 54: „— *ἡγουμένου αὐτῶν* (sc. *τῶν ἕνδεκα*) *Σατύρου τοῦ θρασυτάτου αὐτῶν καὶ ἀναιδεστάτου*“ *κτλ.* — 3, 56: „*καὶ τοῦτο μὲν οὐκ ἀγνοῶ, ὅτι ταῦτα ἀποφθέγματα οὐκ ἀξιόλογα, ἐκεῖνο δὲ κρίνω τοῦ ἀνδρὸς* (sc Theramenis) *ἀγαστόν, τὸ τοῦ θανάτου παρεστηκότος μήτε τὸ φρόνιμον μήτε τὸ παιγνιῶδες ἀπολιπεῖν ἐκ τῆς ψυχῆς.*“ —

1*

hominum proposita et rationes agendi indicare[1]), sibi ipsi denique eorum quae scripserit rationem reddendam esse profiteri[2]); quorum omnium nihil prorsus in priore parte operis invenitur.

(III). Eo magis igitur cum Krügero existimo priorem illam partem, quae continuit l. I. et II, c. 1—3, s. 10., una cum Thucydidis libris, quorum complementum erat, primum editam esse, ita ut ne inscriptione quidem libri Xenophon se auctorem esse prodiderit. Xenophontem enim historiam Thucydidis primum in lucem edidisse antiqua fama est, merito hodie quoque compluribus viris doctis probata[3]). Etenim non video qua alia causa hic induci potuerit ut illam non tam continuaret quam quae in ea deessent expleret. Nec sine justa causa Wyttenbachio[4]) ea visa est Xenophontei operis indoles, ut scriptorem „nulla sua praecipue animi sententia et voluptate ductum suscepto Thucydideae historiae continuandae officio defungi voluisse“ suspicaretur, etsi hoc tantummodo in priorem Historiae Graecae partem cadit. Thucydides vero quum statim ab initio belli res gestas, ne memoria postea in conscribenda historia se deficeret, literis mandaverit[5]), non potest dubitari quin eorum quoque annorum res, quorum ipsam historiam conscribere morte praeventus est, commentariis certe ab eo consignatae fuerint, quippe qui belli exitui compluribus annis supervixerit. Hi igitur commentarii videntur una cum historiae libris in manus Xenophontis pervenisse eique praebuisse supplementorum materiam. Id factum esse etiam magis probabitur, si paulo diligentius consideraverimus quam diverso narrationis genere Xenophon in duabus illis operis partibus usus sit. Primum enim expeditiones et proelia priore quidem parte breviter potius referuntur quam describuntur[6]), posteriore autem rerum bello gestarum complures quidem scriptor praeterisse videtur[7]), quas vero retulit, earum plerasque uberius describere et quomodo factae sint, diligentius exponere

---

1) c. 3, s. 13: „*ἐπεὶ δὲ ἤρξαντο βουλεύεσθαι* (triginta viri) *ὅπως ἂν ἐξείη αὐτοῖς τῇ πόλει χρῆσθαι ὅπως βούλοιντο*“ *κτλ.* — 3, 15: „*ἐπεὶ δὲ αὐτὸς μὲν* (Critias) *προπετὴς ἦν ἐπὶ τὸ πολλοὺς ἀποκτείνειν, ἅτε καὶ φυγὼν ὑπὸ τοῦ δήμου*“ *κτλ.* — 3, 21: „— *πολλοὺς μὲν ἔχθρας ἕνεκα ἀπέκτεινον, πολλοὺς δὲ χρημάτων*“. — 3, 50: „*γνοὺς ὁ Κριτίας ὅτι εἰ ἐπιτρέψοι τῇ βουλῇ διαψηφίζεσθαι περὶ αὐτοῦ, ἀναφεύξοιτο, καὶ τοῦτο οὐ βιωτὸν ἡγησάμενος*“ *κτλ.* — c. 4. s. 29: „*Παυσανίας ὁ βασιλεὺς φθονήσας Λυσάνδρῳ — ἐξάγει φρουράν*“. — 4, 30: „*οὗτοι δὲ* (Boeoti et Corinthii) *ἔλεγον μὲν ὅτι οὐ νομίζοιεν εὐορκεῖν ἂν στρατευόμενοι ἐπ᾽ Ἀθηναίους μηδὲν παράσπονδον ποιοῦντας· ἔπραττον δὲ ταῦτα ὅτι ἐγίγνωσκον Λακεδαιμονίους βουλομένους τὴν τῶν Ἀθηναίων χώραν οἰκείαν καὶ πιστὴν ποιήσασθαι.*“ —

2) c. 4, s. 27: „*εἰ δὲ καὶ τοῦτο δεῖ εἰπεῖν τοῦ μηχανοποιοῦ.*“ Cf. 3, 56.

3) Diog. Laert. II, 57: „*λέγεται δ᾽ ὅτι καὶ τὰ Θουκυδίδου βιβλία λανθάνοντα, ὑφελέσθαι δυνάμενος, εἰς δόξαν ἤγαγεν*“; cui convenit quod Marcellinus (s. 43.) refert, nonnullos octavum Thucydidis librum Xenophonti tribuisse. Cf. Krüger, Hist. phil. Stud. I, p. 264; Volckmar de Xen. Hell. Comment. hist. crit. p. 9. sq; Breitenbach prol. ad H. Gr. —

4) Vid. Peter l. l. p. 8. —

5) Thuc. I, 1. 22; V, 26. Cf. VII, 44; Krüger, Leben des Thuc. p. 70; Ullrich Beiträge zur Erklär. d. Thuc. p. 132 sq. —

6) Vide exempli causa l. I, 1, 4—7; 2, 7—9; 3, 5—7; 5, 12—14; 6, 16. 17. —

7) Cf. IV., 8, 1; VII, 2, 1. —

solet [1]), atque nonnulla non modo adumbrari ab eo verum etiam depingi dixeris. At numerum militum qui vel interfuissent proeliis vel caesi essent parte posteriore minus accurate plerumque memoravit, usus saepissime praepositionibus *ὡς* et *εἰς*, vel verbis *πολλοί, πάμπολλοι, ὀλίγοι, πλείους ἤ, οὐκ ἐλάσσους ἤ,* similibusque [2]); qua anni parte singula gesta, quot mensibus vel diebus confecta essent, ibi modo prodidit, ubi ad intelligendum quo consilio vel quanta alacritate gesta essent, id quo que necessario dicendum erat [3]). Contra parte priore non modo quantis copiis res singulae gestae sint, vel quot naves hominesve proeliis interierint, vel quae fuerit summa praedae captae mercedisque militibus datae saepius exacte commemorat [4]), verum etiam dierum numerum quibus singula quum a Peloponnesiis tum ab Atheniensibus gesta sint, compluribus locis accuratissime definit [5]). Denique parte posteriore scriptorem saepius dicere, se elegisse quae memoratu digna sibi visa essent, jam antea monuimus [6]); verum hoc quoque verbis *λέγεται* vel *ἐλέγετο* similibusque haud raro indicat, se relata quidem referre, sed quae vera, quae falsa, quae dubia viderentur, ipsum dijudicasse [7]); quod ne semel quidem in parte priore factum invenies. Haec omnia satis demonstrant, scriptorem altera quidem operis parte ea narrasse, quae aut ipse, quum interfuisset rebus, memoria teneret, aut ab aliis qui interfuissent vel communi hominum sermone comperta haberet; priore autem commentarios ab alio quodam ipso belli tempore diligentissime confectos in angustum coëgisse. Unde enim nisi ex ejusmodi commentariis sumptum putemus quod scriptor memorat, ex Clearchi quindecim navibus quatuor in Hellesponto captas esse, Alcibiadem tricesimo die postquam a Tissapherne in vincula conjectus sit Sardibus effugisse et quinque triremibus unaque actuaria navi ad classem Atheniensium pervenisse, Athenienses ante pugnam Cyzicenam unum diem Proeconnesi, post pugnam viginti dies Cyzici commoratos esse, Thrasylum quarto die postquam Samum venerit, Pygela navigasse, septimo decimo die postquam Lydiam invaserit, ad Ephesum appulisse, Callicratidam Chii quinas drachmas inter nautas distribuisse, Stagem Persam in Lydia unum Atheniensem vivum cepisse, septem interfecisse? Xenophontem autem ipsum, quae septem extremis belli annis gererentur historiae conscribendae causa

---

1) Cf. IV, 2, 15—23; 3, 16—20; 4. 7—13; 5, 11—17; V, 1, 19 sq.; 2, 40 sq.; 3, 3 sq.; 4. 42 sq.; VI, 2, 18 sq.; 27 sq.; VII, 2, 6 sq.; 20 sq. —

2) Cf. III, 1, 4; 2, 2; 4, 2. 28; IV, 1, 3. 19. 21; 2, 5. 16. 17; 3, 1. 23; 5, 12. 17; 6, 11; 8, 34. 39; V, 1. 10; 2, 20. 21. 24. 31. 40; 3, 1. 2. 4. 22; 4, 10. 14. 56; VI, 1, 19; 2, 5. 10; 4, 15; 5, 10. 24. 31. 52; VII, 1, 20; 4, 13. 16. 23. 27. 29. 36; 5, 12. —

3) Cf. II, 4, 13. 25; III, 2, 1; 3, 4; 4, 21; IV, 1, 20; 5, 3; 6, 6; V, 4, 15; VI, 5, 20. 30. 32. —

4) Cf. I, 1, 2. 5. 7. 11. 12. 13. 16. 22. 24. 34. 36; 2, 1. 3. 5. 9. 12. 13. 16. 18; 3, 10; 4, 8. 9. 11. 22; 5, 1. 7. [illegible] 18. 20. 21; 6, 3. 12. 16. 17. 25. 26. 29. 34. 35; II, 1, 20. 28. 2[illegible]. —

5) I, 1, 10. 13. 14. 19. 20; 2, 2. 7; 6, 20. 24; II, 1, 24. —

6) Praeter locos libri II quos supra attulimus cf. IV, 2, 16; 8, 1; V, 4, 1; VI, 2, 32; VII, 2, 1; 3, 4. —

7) Cf. III, 3, 8; 5, 19. 21; IV, 2, 17. 22; 3, 10; 4, 10; V, 3, 2; 4, 7. 20. VI, 2, 16; 4, 7. 12; VII, 1, 30. 31; 4, 40. —

statim literis consignasse, nequaquam est probabile [1]); neque ab Atheniensibus eum, quum Scillunte librum componeret [2]), minutias illas comperisse quisquam putabit. Quamquam id non negaverim, Xenophontem iis quae ex commentariis Thucydideis colligebat, paucas quasdam res addidisse quas quidem aut ipse viderat aut a Spartanis vel Cyri familiaribus forte audierat. Talia sunt quae narrat de nuntio cladis ad Aegospotamos Athenas perlato [3]), nomina ephororum quae exhibet [4]), quod de Autoboesacis et Mitraei nece tradit [5]), fortasse etiam quae de seditione militum ab Eteonico suppressa [6]) et nonnulla eorum quae de condemnatione Thrasyli collegarumque ejus, praesertim de Socrate proedro [7]), memorat; etsi de hac causa ipsum quoque Thucydidem uberius expositurum fuisse existimo. In universum certe scriptor laudanda modestia exsecutus est editoris officium, contentus plerumque ea quae ex commentariis Thucydideis collegerat in continuae orationis formam redigere. Nullam in priore parte Historiae Graecae reperimus locorum descriptionem; desunt narratiunculae illae et colloquia lepidissima quibus in altera parte historiam tam egregie illustrare solet ut et rerum gestarum et morum indolisque hominum saepe quasi imaginem [8]) oculis lectorum subjecisse videatur; abstinuit prorsus de ingeniis moribusve egregiorum virorum disserere, laudare quae laude digna putaret, vituperare quae vel maximopere ei displicere necesse erat; nusquam, ut saepe in parte altera, intermisit simplicem et aequabilem historiae tenorem ut ex narratore existeret aut accusator aut eorum quos alii accusaverant defensor [9]). Quod vero vel maximum est documentum, Xenophontem in conscribenda parte priore non indulsisse ingenio suo: nunquam fecit mentionem sacrorum eorum quae imperatores ante expeditiones militares et sub initio proeliorum facere solebant, neque haruspicum qui vel ex illis vel ex ominibus prodigiisque voluntatem deorum interpretabantur; neque ullo loco divinae justitiae providentiaeque meminit, neque omnino religionis suae et superstitionis dedit specimina. Nam quod memorat eclipses et templorum incendia [10]), id videtur ex commentariis Thucydidis sumpsisse; quibus ne illud quidem praetermissum fuisse puto, quod Xenophon prodit, diem Plynteriorum, quo Alcibiades Athenas reverterit, plerisque Atheniensium infaustum visum esse [11]). Etenim talia

---

1) Cf. Volckmar l. l. p. 14. —

2) Cf. Spiller quaest. de Xen. H. Gr. 1843; Breitenbach l. l. p. XXI, XXII. —

3) H. Gr. II, 2, 3. —

4) II, 3, 10. —

5) II, 1, 8. 9. —

6) II, 1, 2 — 4. —

7) I, 7, 15. —

8) Cf. II, 3, 50. 51. 56; 4, 6. 19 sq. 26. 33; III, 1, 11 sq. 18 sq.; 2, 5. 17. 28; 3, 2. 3. 5. 9; 4, 5. 9. 11. 16 sq. 25; 5, 21 sq; IV, 1, 4 sq.; 15 sq. 30 sq. 39 sq.; 4, 12; 5, 6 — 10; 8, 18; V, 1, 3; 4, 6. 26 — 33. 58; VI, 2, 6; 3, 3 sq. 7 sq; 4, 36. 37; VII, 1, 37. 38. —

9) Cf. III, 2, 21 — 23; IV, 2, 18; 4, 1 — 3. 6. 15; V, 2, 7; 3, 10 — 12; VII, 1, 34. —

10) I, 3, 1; 6, 1; II, 3, 5. —

11) I, 4, 12. —

quidem in ipsis libris Thucydidis leguntur; idem tamen ter modo [1]) — quantum scio — tetigit obiter sacrificia illa imperatoria quae Xenophon in reliquis suis libris saepissime commemoravit [2]). Denique etiam orationum quae priore parte Historiae Graecae continentur commentarios illos Thucydideos puto argumenta exhibuisse. Quaecunque enim oratiunculae sunt in Historia Graeca, iis omnibus sermonem quem dicunt rectum scriptor adhibuit, exceptis solis duabus illis quas in parte priore tribuit Hermocrati etAtheniensibus l. I, (l. I, c. 1, s. 27 sq. c. 4, s. 13 sq.,) et harum posterior quidem etiam nunc servavit aliquid Thucydidei coloris; tres quae praeterea in parte priore exstant orationes sermone recto compositae, Callicratidae duae et una Euryptolemi, eas Xenophon, quia argumenta ei magis placebant, paulo diligentius elaborasse magisque in suum dicendi genus transformasse videtur; produnt tamen nunc quoque gravitatem quandam quae certe non in omnibus Historiae Graecae orationibus reperitur [3]).

(IV.) Quare quum Xenophon priore parte Historiae Graecae nihil fere narrasse videatur nisi quod vel a Thucydide traditum accepisset vel quod et ipse certo sciret neque illi praetereundum fuisse opinaretur, non multo minorem ei quam ipsi Thucydidi auctoritatem tribuerim. Multum tamen abest ut jactura quam in opere Thucydidis fecimus, supplemento Xenophontis plane compensetur. Nemo ignorat — ut de scribendi genere taceam — quantum praestet Thucydides omni arte historica, non modo in explicandis rerum causis nexuque interiore, sed etiam in ipsis rebus perspicue et absolute, ut nihil prorsus desideres, narrandis et describendis. Videtur Xenophon non eam quam par erat diligentiam operi adhibuisse; nec dubito quin permultas res quas ille tacet, memoratu minime indignas continuerint commentarii Thucydidei quorum nunc quasi epitomen quandam habemus. Nam si horum tam tenue et exile fuisset argumentum quam supplementi Xenophontei, certe ne Thucydidis quidem ars et ingenium suffecissent

---

1) Thuc. IV, 92; V, 10; VI, 69. Cf. praeterea VII, 50; VIII, 1. —

2) Locos alterius Historiae Graecae partis, quibus id factum est, plerosque contulit Peter l. l. p. 86 — 88. quibus addendi hi sunt: III, 4, 15; IV, 2, 18; 4, 5; 6, 6; V, 1, 18. 33; 4, 49. Imprimis autem advertendus est locus l. II, c. 4. s. 18. 19. quo confirmatur id quod supra ostendimus, libri II c. 3. s. 11 sq. et c. 4. ad partem posteriorem operis referenda esse. Ceterum ne quis dicat, fortuito factum esse ut scriptor in priore parte illarum rerum non faceret mentionem, quoniam occasio nulla esset, moneo Diodorum in narratione pugnae apud Arginusas mirifica quaedam portenta, visus nocturnos, haruspicum responsa, referre quae ne verbo quidem tetigit Xenophon. Diod. XII, 97; Cf. Plut. Pelop. 2; Apophth. Lac. p. 273 Did. Xenophon quantum sacris illis imperatoriis non modo in historia scribenda verum etiam in ducendo exercitu tribuerit, notum est. Cf. exped. Cyri VI, 2, 13. sq. VII, 8, 10 — 22. multisque aliis locis. —

3) Sunt enim in compluribus orationibus quaedam festive et facete dicta quae summo historico genere minus digna videntur. Cf. IV, 2, 11. 12; II, 3, 36. 48. 53; VI, 3, 3 — 6; praesertim autem II, 3, 31: „— *ὅθεν δήπου καὶ κόθορνος ἐπικαλεῖται*“ (sc. Theramenes) et II, 4, 41: „*πῶς, οἵγε ὥσπερ τοὺς δάκνοντας κύνας κλοιῷ δήσαντες παραδιδόασι, οὕτω κἀκεῖνοι ὑμᾶς παραδόντες τῷ δήμῳ — οἴχονται.*“ Talia dicere Thucydides certe repudiasset; quare, siquidem pars prior ex commentariis Thucydides confecta est, vel inde confirmatur, illam c. 3, s. 10. concludendam esse. —

ut ex illis conficeretur quidquam ceteris libris Thucydidis non prorsus indignum. Expectaverit aliquis, in supplemento Xenophontis, ut quod secundum ordinem annorum digestum sit, certe temporum descriptionem, quod quasi primum est historiae elementum, planam esse et dilucidam, similemque Thucydideae; quae quidem tam accurata est ut non modo quo anno sed etiam qua anni parte singula gesta sint perspicue cognoscatur. Atqui hoc postremum non ubique a Xenöphonte indicari antea jam diximus; verum etiam ipsam annorum rationem apud eum adeo confusam et turbatam esse constat, ut, nisi ex Thucydide eam corrigere liceret, vix quidquam certi de septem postremis belli Peloponnesiaci annis statui posset. Sed hujus rei causa non tam a negligentia scriptoris quam a foedissima corruptione et interpolatione librorum manuscriptorum repetenda est. Quare, quum mihi proposuerim investigare quomodo res parte priore Historiae Graecae memoratae per septem postremos annos belli Peloponnesiaci distribuendae sint, ante omnia inquirendum est quaenam ex notis describendi temporis causa additis genuinae, quae suppositiciae vel interpolatae videantur.

Ut nunc sunt libri nostri, omnibus locis quibus scriptor novum belli annum incipere diserte dicit, vario modo qui is fuerit annus accuratius indicatur. Quinquies post verba *Τῷ δ᾽ἐπιόντι ἔτει* sive *Τῷ δ᾽ἄλλῳ ἔτει* adduntur nomina ephori Lacedaemoniorum et archontis Attici quibus bis adjicitur Olympias [1]); quarum notarum manifestus sensus is est, ut indicentur archon et ephorus non qui novo belli anno i n e u n t e in magistratu f u e r i n t, sed qui eodem anno ad dignitatem p r o v e c t i sint. Verum duas priores earum notarum perperam illis locis positas esse constat. Nam inter l. I cap. 3, s. 1., ubi commemoratur Antigenes archon anni secundi Olympiadis 93 (407 — 406 a. Chr.) et cap. 6. s. 1. ubi commemoratur Callias archon sequentis anni (Ol. 93, 3. 406—405 a. Chr.), biennii ad minimum historiam interesse apertissime demonstrat cap. 4. sectio 2., de quo loco infra accuratius loquemur. Sed hoc diu latuit doctos homines. Quare quum ante cap. 2. s. 1, ubi notatur Olympias 93. et archon Euctemo (408 — 407 a. Chr.), nullius anni initium apud Xenophontem memoratum invenirent, Petitus, Palmerius, Usserius [2]) putabant capite primo tantummodo res hiemis 409 — 408 contineri, et quoniam sciebant Thucydidem historiam ad auctumnum 411 perduxisse, inter hujus finem et Xenophontis initium biennii illius historiam quod interfuerit inter auctumnum 411 et 409, intercidisse statuerunt. Atqui ea quae principio cap. 1. a Xenophonte referuntur, auctumno 411, non 409 gesta esse manifestum fit non modo ex ipso rerum nexu qui comparatis Thucydide et Xenophonte cognoscitur, sed etiam diserto testimonio Philochori

---

1) I, 2, 1: „*Τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει ᾧ ἦν Ὀλυμπιὰς τρίτη καὶ ἐνενηκοστή, ᾗ προστεθεῖσα ξυνωρὶς ἐνίκα Εὐαγόρου Ἠλείου, τὸ δὲ στάδιον Εὐβώτας Κυρηναῖος, ἐπὶ ἐφόρου μὲν ὄντος ἐν Σπάρτῃ Εὐαρχίππου, ἄρχοντος δ᾽ἐν Ἀθήναις Εὐκτήμονος Ἀθηναῖοι μὲν Θόρικον ἐτείχισαν κτλ.*“ — I, 3. 1; I, 6, 1; II, 1, 10; II, 3, 1: „*Τῷ δ᾽ἐπιόντι ἔτει, ᾧ ἦν Ὀλυμπιάς, ᾗ τὸ στάδιον ἐνίκα Κροκίνας Θετταλός, Εὐδίκου ἐν Σπάρτῃ ἐφορεύοντος, Πυθοδώρου δ᾽ἐν Ἀθήναις ἄρχοντος, ὃν Ἀθηναῖοι, ὅτι ἐν ὀλιγαρχίᾳ ᾑρέθη, οὐκ ὀνομάζουσιν, ἀλλ᾽ ἀναρχίαν τὸν ἐνιαυτὸν καλοῦσιν. ἐγένετο δὲ αὕτη ἡ ὀλιγαρχία ὧδε· ἔδοξε κτλ.*“ —

2) Quos laudat Peter p. 7. —

confirmatur, qui pugnam Cyzicenam a Xenophonte l. I, c. 1, s. 16 sq. memoratam refert ad annum Theopompi (Ol. 92, 3. 411 — 410 a Chr.)[1]. Errorem in notis illis inesse primus vidit Petavius, sed tribuit eum ipsi Xenophonti[2]). Hunc autem in tali re tantopere non modo errasse sed etiam sibi ipsum repugnasse prorsus incredibile est. Quamobrem illas quas diximus annorum notas non a Xenophonte sed ab interpolatore aliquo profectas esse, primus suspicatus est Marsham, idemque confidentius contendit et accurate demonstrare suscepit Dodwell[3]). Secuti sunt eam sententiam recentiorum plerique, et editores quidem Historiae Graecae quantum scio omnes, Morus, Schneider, Weiske, L. Dindorf, Breitenbach, praeterea autem Boeckh[4]), Odofr. Müller[5]), Ideler[6]), Haake[7]), Clinton[8]), Sievers[9]), Brückner[10]), Scheibel[11]) alii; nec tamen defuerunt qui locos illos ut Xenophonteos tueri conarentur, M. H. E. Meier, Peter, denique Voemel[12]). Mihi Brückneri commentationem, qui Dodwellianam sententiam adversus Peterum accuratissime et felicissime defendisse dicitur[13]), non contigit inspicere. Quum autem res minime dubia videatur, quid de ea sentiam dicam breviter, ne taedium lectoribus afferam.

Xenophontem omnes belli annos quorum historiam persecutus esset, archontum et ephororum nominibus, eos vero in quos Olympiades incidissent, etiam Olympiadibus notasse sibi persuasit Peter. Itaque quum videret cap. 2, s. 1. et cap. 3, s. 1. notas perperam positas esse, transposuit has in eos locos ad quos pertinere sibi viderentur: alteram in cap. 4, s. 2, alteram in cap. 5, s. 1; et quum ita deessent notae belli annorum vicesimi alterius (410 — 409) et vicesimi tertii (409 — 408), has quoque supplevit; nam cap. 2, s. 1, post verba *Τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει* addidit: „*ἐπὶ ἐφόρου μὲν ὄντος ἐν Σπάρτῃ Ἰσίου, ἄρχοντος δὲ ἐν Ἀθήναις Γλαυκίππου*, s. 1. cap. 3. post verba *ἐπεὶ δ' ὁ χειμὼν ἔληγεν* adjecit: *Ἀράκου μὲν ἐφορεύοντος, ἄρχοντος δὲ Διοκλέους*. Ita rem confici credidit et restitui annorum descriptionem tam nitidam et dilucidam qualis e manu scriptoris prodiisset. Peter ut Dodwellianam sententiam impugnaret unum praecipue attulit argumentum: dixit eam nimis audacem esse. Verum quamvis audax sit, multo audacior certe est ipsius Peteri conjectura; atque etiam magis miranda quam Peteri temeritas (qua is corruptionem desperatam tollere voluit), illius hominis foret malevolentia

---

1) Ap. schol. Eurip. Orest. 371. 772. Cf. Diod. l. XIII, c. 53; Justin. V, 4; Sievers Comment. hist. de Xen. Hell. adn. 49. —
2) Doctr. temp. l. X, c. 28. —
3) Marsham, Can. chron; Dodwell de Cyclis. diss. VIII. —
4) Staatshaush. II, 179. ed. prior. —
5) De sacr. Min. Pol. p. 20. —
6) Handb. d. Chron. I, p. 372, adn. 2. —
7) De postr. b. Pel. ann. dissert. chronol. Stendal. 1822. —
8) Fasti Hell. II, p. 330. ed. III. —
9) l. l. p. 7. —
10) De notat. ann. in H. Gr. Xen. 1838. —
11) Prolegg. ad Scalig. *Ὀλ. ἀναγρ.* p. LIV. —
12) Meier in Allgem. Realencyclop. s. v. Olympiadenrechnung; Hall. Lit. Zeitung 1834. N. 148; Peter l. l. p. 57 — 61; Voemel progr. Francof. a. 1851. —
13) Cf. Breitenbach prolegg. ad H. Gr. p. 26. sq. —

audacissima, qui perspicuam illam et absolutam descriptionem temporum, quam Xenophontem instituisse Peter opinatur, tam foede conturbare et in eam quam nunc videmus formam mutilam et pravam redigere ausus esset. Sane Peter existimat eum errore deceptum sibi persuasisse, ab anno 409 Xenophontis historiam incipere, ideoque veram — quam putaret — chronologiam restituere voluisse; sed miri istius erroris neque ipse Peter idoneam causam expedivit neque alium qui expediat puto futurum esse.

Sed quantacunque est hujus sententiae temeritas, nihilo minus ad eam confugiendum est iis qui notas illas spurias esse negant. Nam si duo priores loci tantummodo corrupti, non subditicii, sunt, quomodo sanari possunt nisi ita ut vel ipsae notae alio transponantur, vel, quod fere idem est, nomina ephororum et archontum mutentur, Olympias deleatur? Si vero quis illos quidem duos ut spurios rejicere, reliquos tres ut genuinos retinere velit, quomodo explicare poterit quod Xenophon tantum tres ex septem iis annis quorum historiam complectitur, isto modo notaverit? Verum sunt aliae quoque rationes gravissimae, quae obstent quominus notas illas genuinas putemus. Erat enim neque aetatis neque consilii Xenophontis singulos deinceps annos simul archontibus, ephoris, Olympiadibus designare. Triplicis ejus chronologiae Timaeum inventorem esse locuples tradit auctor Polybius [1]). Exstiterunt sane antea qui in annalibus conscribendis uterentur magistratuum annuorum nominibus, quemadmodum Hellanicus suam Atticam historiam ex parte certe secundum archontes disposuit; et Olympionicarum catalogum primus videtur Hippias Eleus edidisse [2]); nemo tamen ante Timaeum conjunctas ephororum, archontum, Olympiadum rationes annis in opere historico describendis constanter adhibuit; qui vero Olympiades potissimum respiciebant, non numerabant has, ut semel fecit interpolator noster, sed solo victoris nomine notabant [3]). Prorsus autem falsum est quod dicit Peter Meierum secutus: „Ut nunc est, Xenophon (sic) nihil aliud fecit quam Thucydides, qui non minus saepe quam ille Olympiadas commemorat locis his l. III, 8 et V, 49.“ Nimirum in septennium illud cujus historiam Xenophon scripsit, nulla Olympias incidit praeter duas eas, quae ab interpolatore commemorantur, nonagesimam tertiam et nonagesimam quartam. Contra viginti annis quos complectitur opus Thucydidis, quinque Olympiades celebratae sunt, quarum tres scriptor ne verbo quidem attigit, quas autem commemoravit, octogesimam octavam et nonagesimam, earum neutram potuit praeterire. In priore enim Lesbii oratione coram Peloponnesiis ad celebrandum ludicrum congregatis habita in societatem foederis recepti sunt; altera Elei Lacedaemonios excluserunt, quorum auctoritatem apud Peloponnesios tunc valde labefactatam haec res egregie illustrat. Utriusque autem Olympiadis Thucydides non, ut interpolator Xenophontis, stadionicam, sed victorem pancratii commemorat. Ephoros quoque et archontes interdum

---

1) XII, 12: „*Ὁ γὰρ τὰς συγκρίσεις ποιούμενος ἀνέκαθεν τῶν ἐφόρων πρὸς τοὺς βασιλεῖς τοὺς ἐν Λακεδαίμονι καὶ τοὺς ἄρχοντας τοὺς Ἀθήνῃσι καὶ τὰς ἱερείας τὰς ἐν Ἄργει παραβάλλων πρὸς τοὺς Ὀλυμπιονίκας καὶ τὰς ἁμαρτίας τῶν πόλεων περὶ τὰς ἀναγραφὰς τὰς τούτων ἐξελέγχων, παρὰ τρίμηνον ἐχούσας τὸ διαφέρον, οὗτός ἐστι.*“ —

2) Cf. Scheibel l. l. p. 51. —

3) Cf. Scheibel l. l. p. 54. —

Thucydides nominat, sed tantummodo ut quasdam belli epochas accuratius definiat iis utitur [1]); singulos belli annos, quos non secundum Atticam Laconicamve rationem civilem describit, sed a vere ad ver deducit, numerare solet· neque unquam archonte ephorove designat. Thucydideam autem temporum descriptionem Xenophon secutus est, nisi quod diligentia minore eum usum esse supra vidimus. Eo magis igitur mirandum esset si is ternas illas annorum notas male sedulus addidisset, quarum una semestri [2]), reliquae duae trimestri discrepant ab initio anni Thucydidei. Possunt sane singulae quaedam res gestae haud inepte ita definiri, ut rem quae evenerit exeunte anno Juliano 408 a. Chr. dicas gestam esse vicesimo quarto belli anno, archonte Euctemone, ephoro Euarchippo, quo anno Olympias nonagesima tertia celebrata sit. Pessime autem ipse belli annus vicesimus quartus eodem modo notatur; quae enim vere ejus gesta sunt, non incidunt in Euctemonis annum, qui primus est Olympiadis 93, sed in annum Dioclis qui postremus est Ol. 92; quae autem gesta sunt aestate, ea pertinent quidem ad annum Euctemonis nec tamen ad annum Euarchippi sed Araci ephori. Ita Lysander iterum imperium suscepit non, ut interpolator scribit, *ἐπὶ Ἀρχύτου ἐφορεύοντος, ἄρχοντος δ' ἐν Ἀθήναις Ἀλεξίου,* sed Pitya ephoro et Callia archonte. Quare qui triplici illa ratione annos notare volebat, ei aut praemonendum erat, archontes Atticos non vere, quo novus belli annus incipit, sed aestate, ephoros autem auctumno magistratum iniisse (quod quidem interpolator prorsus ignorasse videtur); aut si hoc nolebat, debebat certe dicere: *Τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει ᾧ Ἀρχύτας μὲν ἐφόρευσε, ἄρχειν δ' ἐν Ἀθήναις ἔλαχεν Ἀλεξίας,* non *ἐπ' ἐφορεύοντος* neque *ἄρχοντος.*

(V.) Venio ad locum quem plerique docti homines una cum illis de quibus modo dixi condemnaverunt: l. II, c. 3, s. 9—10 ubi scriptor in fine operis dicit bellum viginti octo annos et sex menses durasse, incepisse Aenesia ephoro, anno post pacem triginta annorum quinto decimo, denique addit catalogum undetriginta ephororum qui ab Aenesia eponymi fuerint usque ad Eudicum, cujus anno Lysander Samo subacta Spartam reverterit [3]). Haec omnia deleri volunt Dodwell, Morus, Schneider, Weiske'

---

1) Cf. Scheibel l. l. p. 49. Sunt autem Thucydidis loci hi: II, 2 ubi initium belli definit, V, 19. 25. ubi pacis Nicianae tempus constituit. —

2) Ex loco Thucididis V, 36. plerique docti viri collegerunt annum Laconicum et ephororum magistratum incepisse circa aequinoctium auctumnale. Sed G. F. Rinck (die Religion der Hellenen II, p. 47) negavit quidquam aliud ex illo loco effici posse nisi hoc: annum Laconicum incepisse post initium veris (cf. Thuc. V, 19. 20) et ante initium hiemis; quam sententiam probavit Boeckh, zur Gesch. der Mondcyclen der Hellenen p. 87. Mihi tamen illa valde dubia videtur. Ephoros certe non ut Rinck existimat, circa solstitium aestivum, eodem fere quo archontes Atheniensium tempore, magistratum iniisse, ex alio loco Thucydidis l. II, c. 2. colligere licet; atque trimestri fere initium Laconici anni ab initio Attici diversum fuisse, illo Polybii loco quem supra adscripsi, confirmari existimo. Nec tamen ideo plane probandum est quod Dodwell (l. l. s. 5.) nimis confidenter docet: „coepit annus Laconicus ab illo civili novilunio, quod, pro cycli lege, aequinoctium auctumnale proxime sequi censebatur.“ —

3) *„ταῦτα δὲ πάντα Λακεδαμονίοις ἀπέδωκε, τελευτῶντος τοῦ θέρους, εἰς ὃ ὁ ἑξάμηνος καὶ ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἔτη τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα ἐν οἷς ἔφοροι οἱ ἀριθμούμενοι οἵδε ἐγένοντο, Αἰνησίας πρῶτος, ἐφ' οὗ ἤρξατο ὁ πόλεμος, πέμπτῳ*

Sievers, Dindorf, Brückner, Breitenbach; contra Clinton universum quidem locum tuetur, ita tamen ut pro numero corrupto ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν restituatur verus ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν. Equidem non dubitavi amplecti Clintonianam sententiam. Apparet certe locum nostrum illis quinque eatenus modo similem, quod eo quoque tempora definiuntur et ephori nominantur, alioquin prorsus ab illis diversum esse. Quare separatim de eo quaerendum est; nec licet eum una cum spuriis illis quasi indicta causa condemnare [1]). Ut homo quisque insons praesumitur, donec probetur contrarium, ita locus ille satis jam tutus habendus est, donec suppositicium esse validis argumentis comprobetur. Jam vero argumenta ea quibus in suspicionem aut vocatus est aut vocari possit, ea omnia sunt ita comparata ut, si accuratius considerentur, non spurium sed genuinum esse ipsa potius confirment. Nam primum quidem in eo haeseris quod Thucydides, quem Xenophon continuavit et in descriptione temporum secutus est, non videtur catalogum ephororum additurus fuisse. Verum Xenophon qui consuetudine, amicitia, studio Lacedaemoniis conjunctissimus erat, facile adduci poterat ut catalogum annis accuratius definiendis maxime idoneum sua sponte adjiceret, eo praesertim tempore quo Lacedaemonii in Graecia dominabantur et ephororum princeps omnes reliquos Graecos dignitate et auctoritate antecedebat. Contra interpolator inferioris aetatis Atticos potius archontes, quorum nominibus annos notare multo usitatius erat, aut solos aut una cum ephoris, nominasset. Deinde numerus undetriginta ephororum nonnullis olim suspicionem moverat; sed haec res jam pridem explicata est. Nam Aenesias qui ephorus erat vere a. 431 quo bellum incepit, magistratum obtinuit usque ad auctumnum ejusdem anni 431; tum usque ad auctumnum a. 404 successerunt viginti septem alii; unde tricesimus denique Eudicus eo ipso auctumno, paucis fortasse diebus antequam Lysander Spartam pervenit, munus susceperat. Atque hoc rursus suadet ut locum genuinum habeamus; qui quidem certissime non, ut Breitenbach existimat, „eidem grammatico qui antea passim ephororum nomina Xenophonti obtrusit" tribui potest. Nam iste quidem grammaticus maximam probavit negligentiam, imperitiam, historiae pariter ac chronologiae ignorantiam, non noverat Thucydidem, nec sciebat a quo anno Xenophon initium operis fecisset; contra auctor catalogi circumspecte egit, sciebat ephoros auctumno magistratum iniisse, Samum auctumno a. 404 captam, bellum vere a. 431 inchoatum esse denique ante oculos habuit Thucydidis locum II, 2 quem respici verbis πέμπτῳ καὶ δεκάτῳ ἔτει τῶν μετ᾽ Εὐβοίας ἅλωσιν τριακονταετίδων σπονδῶν manifestum est. Quod autem nunc falso scribitur bellum viginti octo annos et sex menses durasse,

---

καὶ δεκάτῳ ἔτει τῶν μετ᾽ Εὐβοίας ἅλωσιν τριακονταετίδων σπονδῶν, μετὰ δὲ τοῦτον οἵδε (sequuntur 27 nomina) Εὔδικος ἐφ᾽ οὗ Λύσανδρος πράξας τὰ εἰρημένα οἴκαδε κατέπλευσεν" —

1) Quemadmodum facit Breitenbach a. l. l.: „Facili igitur opera correcto hoc numero („ὀκτώ") locus sanari posset, nisi satius esse videretur totam hanc inde a verbis εἰς ὃ et sequentem sectionem eidem tribuere grammatico, qui antea passim ephororum nomina Xenophonti obtrusit." En medicum crudelem! qui aegrotum corporis membrum, quod facili opera sanari posse ipse intelligit, amputare „satius ducit". —

inde non sequitur catalogum spurium esse; imo apertum est eum qui catalogum rectissime exhibuit, non prodidisse falsum annorum numerum. Nec dubium quin principio scriptum fuerit *ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν*. Mutavit postea numerum librarius aliquis, qui quum non adverteret ephoros auctumno magistratum iniisse, neque intelligeret quomodo per bellum septem et viginti annorum et sex mensium undetriginta ephori in magistratu fuissent, mendum scripturae corrigere sibi visus est [2]). Ejusmodi enim mendum suspicari necesse erat omnes, qui illud aut nescirent, aut non considerarent. Minime vero probanda sunt, quae contulerunt Morus, Peter, Voemel, ut numerum qui in manuscriptis est tuerentur. Morus enim existimat auctorem loci computasse annos Olympicos, qui ab illo quo bellum incepit Ol. 87. 1. usque ad eum quo Samus capta est Ol. 94. 1. fuerint undetriginta; sed scriptor annos belli, non Olympicos, a se numerari diserte dicit: — „*τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα.*“ Peter pro particula *καὶ* legit *κἂν* ut verba sint *εἰς ὃ ὁ ἑξάμηνος κἂν ὀκτὼ καὶ εἴκοσιν ἔτη τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα*, hoc sensu: „hac exeunte aestate sex menses erant (s. deerant) et duodetriginta anni explerentur“, vernacule: „*noch* 6 *Monate und die* 28 *Jahre wären voll gewesen*“; quasi esse et deesse sint synonyma! Nec magis prospere res cessit Voemelio qui lectionem librorum hoc modo tueri conatus est: „Ego locum sane difficilem sic explicuerim, per prius *καὶ* non numerum sed narrationem continuari: „Rediit domum Lysander praeterita aestate, qua finita belli tempus semestre finitum est, simulque (cf. Dem. Pac. §. 2.) 28 anni militares sive aestates e more Lacedaemoniorum, quem Xenophon sequitur“. Ubi quid sibi velint verba „sive aestates — sequitur“, non plane intelligo. Certe Lacedaemonii neque hiemem sicut marmotae somno traducentes senos modo menses aestivos singulis annis tribuebant, nec vocabula *ἑξάμηνος, ἔτος, θέρος* idem omnia apud eos valebant. Xenophontem autem annos suos non ex more Laconico, quicunque is fuerit, sed a vere ad ver deductos numerasse (id quod infra accuratius demonstrabitur), vel ipsa illa verba *τῷ πολέμῳ* satis perspicue indicant; quare non potuit dicere duodetriginta annos belli, sed septem et viginti annos et sex menses exactos esse. Articulus autem *ὁ* (*ἑξάμηνος*) tantum abest ut nostrae sententiae repugnet, Voemelianam confirmet („Neque viderunt illi neutiquam in nostro loco *ἑξάμηνος* cum proximo *καί* arcte conjungi posse, quia articulus additus est, quum *ὁ* sive *ἡ ἑξάμηνος* ubique duas anni partes semestres opponat“ Voem. l. l. p. 4), ut cum hac ille vix possit conciliari. Quodnam enim semestre intelligendum putemus? scriptor neque ullo alio loco, se res gestas secundum semestria disponere, professus est, nec c. 3, s. 1. dixit se novum semestre aestivum incipere; quod etsi fecisset, tamen c. 3, s. 9. (ut recte monuit Breitenbach) post verba *τελευτῶντος τοῦ θέρους* prorsus inepte additum esset „*ἐς ὃ ὁ ἑξάμηνος ἐτελεύτα*“, siquidem id nihil aliud diceret nisi aestate finita semestre aestivum exactum esse. Nostrae autem sententiae articulus *ὁ* optime convenit. Dicit enim scriptor hoc: „aestate exacta sex illi menses et septem et viginti anni quos bellum duravit expleti sunt: *Die* 6 *Monate und* 27 *Jahre des Krieges gingen zu Ende.*“

---

1) Cf. Dindorf. in ed. Berolin. p. 286. —

Imo verba τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα articulum paene necessario requirunt. Accedit quod simplex particula καί non valet „simulque" (ad quam particulae vim illustrandam quid conferat locus a Voemelio laudatus Dem. de pace s. 2 equidem non intelligo). Quare si scriptor eam sententiam quae Voemelio in loco isto inesse visa est, exprimere neque annos perperam computare volebat, sic fere debebat dicere: „ἐς ὃ τό τε θέρος τὸ ἑξάμηνον καὶ τῷ πολέμῳ ὁ ἑξάμηνος καὶ ἑπτὰ καὶ εἴκοσιν ἔτη ἐτελεύτα".

Ephororum igitur catalogum genuinum esse vidimus. Atque ita demum perspicitur, qua ratione ductus interpolator illos quinque locos spurios de quibus diximus Xenophonti obtruserit. Is enim primum quidem ei anno, quo triginta virorum dominatus institutus est, postremum ex ephoris a Xenophonte enumeratis, Eudicum, archontem vero Pythodorum quem ad eum annum pertinere aliunde cognoverat, videtur adjunxisse; deinde Xenophontis historiam ad initium retroversus perlustrans, reliquis quatuor locis ubi novi anni initium diserte memoratum invenit, singulos a postremo ephoros, cum archontibus quos Pythodorum praecessisse compererat, singulis interposuit, addiditque duas Olympiades quas cum Pythodoro et Euctemone archontibus convenisse sciebat. Quo in opere — qua erat ignorantia et negligentia — non animadvertit illud anni initium, quod l. I, c. 4, s. 1. 2. etsi non solemni formula „καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν" vel „τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει", perspicue tamen verbis „ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος" indicatur; neque haesit in eo quod secundum suam rationem Xenophon ab anno Dioclis (409—408 a. Chr.) historiam orsus esse videretur. Ultimo autem quinque istorum locorum (II, 3, 1.), ut non modo notas suas interponeret sed explicaret etiam cur annus Pythodori ἀναρχία ab Atheniensibus appellata sit, laceravit primum capitis enuntiatum quod L. Dindorf [1]) recte vidit hoc fuisse: „τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει ἔδοξε τῷ δήμῳ τριάκοντα ἄνδρας ἑλέσθαι κτλ."

(VI.) Duobis locis ubi scriptor novum belli annum incipit, post verba τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους ante nomen ephori adjecta leguntur prodigia quaedam: duo templorum incendia et una defectio lunae [2]); quae plerisque viris doctis vel propter viciniam ephororum et archontum suspecta visa sunt. Verum talia ne Thucydides quidem neglexit; commemoravit enim duas solis eclipses [3]), plures terrae motus [4]), eruptionem Aetnae montis [5]), templi incendium [6]), denique unam defectionem lunae [7]). De singulis igitur quae sunt apud Xenophontem videndum est. Libri I cap. 6. ita incipit: „Τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει ᾧ ἥ τε σελήνη ἐξέλιπεν ἑσπέρας καὶ ὁ παλαιὸς τῆς Ἀθηνᾶς νεὼς ἐν Ἀθήναις ἐνεπρήσθη, Πιτύα μὲν ἐφορεύοντος ἄρχοντος δὲ Καλλίου Ἀθήνησιν κτλ." Hic quod de templo Minervae combusto dicitur, falsum neque a Xenophonte scriptum esse luculente demonstravit Odofr. Müller l. l. Nam ὁ παλαιὸς τῆς Ἀθη-

1) l. l. p. 284. 285. —
2) I, 3, 1; 6, 1. —
3) Thuc. II, 28; IV, 52. —
4) II, 8; III, 87. 89; IV, 52; V. 45. 50; VIII, 6. —
5) III, 116. —
6) IV, 133. —
7) VII, 50. Cf. omnino l. I, c. 23. Ullrich Beiträge p. 74 sq. —

νᾶς νεὼς est templum Minervae Poliadis; id autem, quod Diocle archonte denuo struebatur (a. 406—408), anno Calliae (406—405) vix absolutum, nedum vetus esse poterat, neque unquam conflagrasse videtur. Est autem exstructum in locum prioris, quod ante pugnam Salaminiam, archonte Calliade, quem alii Calliam appellant [1]), a Xerxe incensum erat. Hanc rem librarius transtulit ad Calliam Olympiadis nonagesimae tertiae.

Quod de defectione lunae proditur recte se habet; defecit enim luna vesperi 15. d. Aprilis Juliani a. 406 a. Chr. Dubitaveris forsitan num fuerit ex consilio Thucydidis, omnes lunae defectiones commemorare. Is enim illam quidem cujus mentionem fecit vel ideo non potuit omittere quia inter causas cladis Syracusanae fuit; eam autem quae evenit nono die Octobris a. 425 ne verbo quidem tetigit quanquam Athenis spectatam esse inde colligas quod scholiasta Aristophanis eam Boedromione mense Attico factam tradit [2]). Sed inde non sequitur, eam quae anno 406 evenit, a Thucydide in commentariis omissam vel Xenophonti praetermittendam fuisse. Quin Plutarchus testatur, homines ejus temporis defectiones lunae etiam majora portenta quam eclipses solis habuisse [3]). At vero Thucydides talium rerum tempus accuratius definire solet; et ipse Xenophon eclipsim 3. d. Sept. anni 404 non statim sub initio anni, sed suo loco memoravit [4]). Sed hoc quidem ideo fecisse videtur ut cum victoria Lycophronis Pheraei eclipsim conjungeret. Illam autem lunae defectionem, quae proxime ad initium veris a. 406 accessit, eo magis potuit verbis *τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους* subnectere, quo saepius omnino anni tempora notare omisit. Rursus suspicionem movet quod ita parum apte additur lunam vesperi defecisse [5]). Equidem rem in ambiguo relinquo. Etiam magis anceps est de incendio templi Minervae Phocaeensis c. 3, s. 1. memorato judicare. Fortasse hoc quoque illatum est, ab eodem qui incendium templi Poliadis addidit; fortasse genuinum est et occasionem interpolationis illi praebuit; res vix digna est quae accuratius investigetur.

(VII.) Thucydides ubi singulos annos ad finem perduxit nunquam omittit dicere quotus belli annus tunc exierit, solemni formula: „*καὶ πρῶτον (δεύτερον) ἔτος τῷ πολέμῳ ἐτελεύτα.*" Apud Xenophontem tribus locis memoratur quot anni ab initio belli ad id tempus ad quod narratio pervenit, exacti fuerint: l. I, c. 3, s. 1; I, 6, 1; II, 1, 7. Sed hi loci omnes plerisque viris doctis merito sunt suspecti visi. Primum id mirum est cur scriptor tres modo annorum numeros exhibuerit, ceteros omiserit? Deinde tribus illis locis numeri pessime collocati sunt. Erant enim, ut et Thucydides fecit et ipsa sententia postulat, cum verbis *καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγε* conjungendi. Nunc autem vide quam male ea quae l, I. c. 2, 19. et c. 3. 1. leguntur dicta sint: „Et finis anni aderat quo Medi — a Dario in deditionem recepti

---

1) Cf. Scheibel ad Scalig. *Ὀλ. ἀναγρ.* Ol. 75, l. adn. 308. —
2) schol. Aristoph. Nub. v. 584. Cf. dissert. meam „De tempore quo b. Pel. initium cep." p. 17. sq. —
3) Plut. vita Nic. c. 23. —
4) II, 3, 4. —
5) Cf. Müller de sacr. Min. Pol. l. l. „Nam quid est absurdius quam: annus quo luna sub vesperam defecit?"

sunt. Sequenti autem anno templum Phocaeensium conflagravit; et exeunte hieme initio veris quum viginti duo belli anni exacti essent, Athenienses Proeconnesum navigaverunt." Etiam ineptius c. 6, 1. alter numerus collocatus est: „Et aderat finis anni, quo Carthaginienses — Agrigentum ceperunt. Sequenti autem anno Lacadaemonii, quum Lysandro tempus nauarchiae et bello quatuor et viginti anni praeteriissent, ad classem miserunt Callicratidam." Tertio quoque loco, ubi desunt verba sueta „*καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγε*", II, 1, 7, numerus anni conjungitur cum novi nauarchi adventu; sed prius dicitur, quinque et viginti annos praeteriisse, quam narratio eorum quae superiore anno evenerant finita est. Etenim ss. 8. et 9. de Cyro quaedam referuntur, et demum s. 10. scriptor pergit: „*τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει Λύσανδρος κτλ.*" Accedit quod hic postremus numerus certissime falsus est. Nam Lysandrum vere 405, vicesimo sexto belli anno exacto, iterum imperium suscepisse quum aliunde constat tum ex ipso Xenophonte haud dubia ratione colligitur. Verum etiam duos priores numeros perperam positos esse, infra demonstrabo. Ceterum isti numeri, quamvis sint spurii, non tamen ab eodem homine additi sunt, qui Olympiades et ephororum archontumque nomina libris obtrusit; nam ab his temporum notis aut binis aut singulis annis discrepant. Mihi videntur orti esse ex glossematis librarii, qui cum comperisset Xenophontis opus ab auctumno anni vicesimi primi incipere, cap. 2, s. 1., ubi primum occurrunt verba *τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει*, putavit annum vicesimum alterum inchoari, eundemque absolvi c. 3. s. 1. ubi iterum illa verba reperiebat; deinde c. 4. s. 2. verbis *ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος* vidit exactum annum, — quem putabat vicesimum tertium esse — indicari; vicesimum quartum usque ad c. 6, 1., vicesimum quintum ad II, 1, 7., ubi proxime annorum initia notantur, perduci existimavit. Fortasse omnibus illis locis numeros in margine adjecerat, sed fortuito evenit ut tres modo in textum inreperent.

(VIII.) Inter notas temporis nonnulli viri docti res quasdam numerant, quae l. I, c. 1, s. 37; c. 2, s. 19; c. 5, s. 21; l. II, c. 1., s. 8. 9; c. 2, s. 24. de Sicilia et Persarum regno sub ipsum finem annorum breviter memorantur. Haec omnia et Brücknero spuria visa sunt, et a Breitenbachio novissimo Historiae Graecae editore, qui illum sequitur, uncis seclusa. Existimant enim talia et a consilio scriptoris et a bello Peloponnesiaco pariter aliena esse. Mihi vero Xenophon si illa scripsit, nihil aliud fecisse videtur, quam quod Thucydides facturus fuerat, quem omnia illa in commentarios suos contulisse verisimillimum est. Non satis memores illi viri docti fuerunt, bellum Peloponnesiacum, extremis praesertim annis, non modo rixam quandam Atheniensium et Lacedaemoniorum fuisse sed universi fere orbis motum gravissimum, nec tantum, ut bello decennali „universam Graeciam et partem barbarorum"[1]), sed majorem partem generis humani aliquatenus eo fuisse complicatam. Quae vero l. I, 1, 37; 5, 21; l. II, 2, 24; referuntur, ex-

---

1) Thuc. I. 1: „*κίνησις γὰρ αὕτη μεγίστη δὴ τοῖς Ἕλλησιν ἐγένετο καὶ μέρει τινὶ τῶν βαρβάρων, ὡς δὲ εἰπεῖν, καὶ ἐπὶ πλεῖστον ἀνθρώπων.*" (Cf. Ullrich, Beiträge. —

cidium Selinuntis, Himerae, Agrigenti, urbium Graecarum maxime florentium, atque Dionysii tyrannidis initium, ea ne tum quidem si bellum ad Graecos modo pertinuisset, a scriptore ejus potuissent omitti; quin Thucydides neque incendium templi Argivi, neque Aetnae eruptionem, calamitates illis multo minores, memorare neglexit. Atque expeditiones illae a Poenis in Siciliam factae, interitusque urbium quas diximus, cum ipso bello Peloponnesiaco conjunctissima erant; illis enim factum esse ut Siceliotae copias quas Peloponnesiis auxilio miserant revocarent Diodorus testatur, idemque etiam e Xenophonte colligi potest [1]). Etiam majorem partem, quam Siceliotae, rex Persarum in bello Peloponnesiaco habuit; eoque minus mirandum est, etiam de regno Persarum quasdem res quae majoris momenti erant, paucis verbis memorari. Medorum enim defectione cujus scriptor l. I, c. 2, s. 19. mentionem fecit, imperium Persarum in magnum periculum adductum esse, neminem fugere potest, qui meminerit Medos principem post ipsos Persas regni populum fuisse. Certe haec res quam Breitenbach ait „a bello Peloponnesiaco toto coelo remotam" esse, non magis ab eo aliena est quam multa quae memoravit Thucydides: expeditio quam Sitalces rex Thraciae in Macedoniam fecit [2]); clades qua eundem Triballi affecerunt, obitusque ejus et regnum a Seuthe occupatum [3]); bellum Phocensium cum Locris [4]); Thyssus a Dictydiensibus capta [5]); bellum Argivorum cum Phliasiis [6]), alia. Ea quoque quae l. II, c. 1, s. 8. 9. de Autoboesace et Mitraeo a Cyro necatis memorantur, Breitenbach ab argumento scriptoris prorsus aliena esse dicit. Sed quicunque perlegerit sect. 8—15, intelliget illa re causam prodi qua factum sit ut Cyrus a patre in Persiam vocatus Sardibus abiret quum omnia sua Lysandro tradidisset. Quod mihi videtur quam maxime ad historiam belli pertinere. At ipsa loci verba manum librarii prodere Breitenbachio visa sunt. Scilicet vestis Persica quae in Cyropaedia *κάνδυς* vocatur, nostro loco dicitur *κόρη*; et Darius rex quem alibi scriptor solet *Δαρεῖον* appellare, hic bis nominatur *Δαρειαῖος*. Sed haec minoris sunt momenti; graviora sunt quod eodem isto loco juxta productiorem formam nominis semel etiam simplicior illa *Δαρεῖος* legitur, et quod Darii pater non Artaxerxes sed Xerxes appellatur. Haec interpolationis suspicionem mihi quoque movent, sed locus [7]) sanari potest remotis sex verbis quae nunc ineptissime addita sunt: „*τῆς τοῦ Ξέρξου τοῦ Δαρείου πατρός*." Videntur haec additamentum librarii esse qui stirpem matris Autoboesacis non satis perspicue indicari puta-

---

1) Cf. quae infra de ea re dicam, et Justin. V, 4: „Interea et Syracusanorum auxilia illatum a Carthaginiensibus Siciliae bellum domum revocavit; quibus rebus destitutis Lacedaemoniis, Alcibiades cum classe victrici Asiam vastat" etc. quae ex Theopompo petita videntur. —

2) Thuc. II, 95—101. —

3) IV, 101. —

4) V, 32. —

5) V, 35. —

6) V, 115. —

7) H. Gr. II, 1, 8: „*τούτῳ δὲ τῷ ἐνιαυτῷ καὶ Κῦρος ἀπέκτεινεν Αὐτοβοισάκην καὶ Μιτραῖον, υἱεῖς ὄντας τῆς Δαρειαίου ἀδελφῆς τῆς τοῦ Ξέρξου τοῦ Δαρείου πατρός*" *κτλ.* —

bat nisi nomen patris — quem falso Xerxem appellat — adderetur. Quis autem scriptor ita dixisset: „filii erant sororis Darii, quae erat filia Xerxis, patris Darii!" Quod vero Breitenbach dicit partem eorum quae nostro loco narrantur, s. 13. iterum ut sequenti anno facta memorari, ideoque superiore loco tolerari non posse — ne id quidem recte disputatum est. Namque scriptor quum suo loco memorasset necem Autobaesacis et Mitraei, statim, ut perspiciatur cur ejus rei mentionem fecerit, addit quid inde consecutum sit: Darium nuntio illius rei permotum misisse legatos qui filium arcesserent, quoniam ipse aegrotaret; hi legati regis ad Cyrum pervenerunt aestate 405; quare scriptor quum ad id tempus in historia pervenisset, rursus suo loco narravit Cyrum a patre vocatum in Persiam profectum esse. Haec omnia optime se habent; et res illo loco narrata ea est, quam, nisi forte ex Ctesia illatam suspiceris, non video unde interpolator compererit. Denique ea quae de rebus Siciliae ll. ll. referuntur, Sieversio, Brücknero, Breitenbachio vel ideo suspecta videntur, quia Diodori auctoritati veraeque chronologiae repugnent. Sed de hac re accuratius quaerere differo, dum demonstraverim quomodo res priore parte Historiae Graecae memoratae inter septem postremos belli annos distribuendae sint.

(IX). Una cum his quae de rebus Siciliae et Persiae in fine annorum leguntur, Breitenbach etiam verba καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγε quae quatuor locis cum illis coniuncta sunt, deleri vult, atque ita — ejectis iis quae aliena manu in verborum contextum invecta putat — nulla alia temporum signa relinqui ait quam quae adhibuerit Thucydides, scilicet formulas τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει, τῷ δ' ἄλλῳ ἔτει, cetera. Brückner autem quem Breitenbach alioquin sequitur, ne ibi quidem substiterat sed has quoque formulas, ubicunque occurrunt, ejicere suaserat. Quod si recte statueret, jam prior pars Historiae Graecae non posset inter annales referri. Verum Xenophontem annales scribere voluisse, non modo ex illis formulis sed ex universa operis indole et dispositione luce clarius apparet; de qua re supra satis dixisse mihi videor. Unum modo hic quoque moneo: colligendae et disponendae materiae rationem longe diversam in annalibus et in historia proprie dicta esse adhibendam. Nam hac quidem res gestae ita describuntur, ut perspiciatur quo nexu interiore singula inter se et cum summa rerum conjuncta sint. Contra annalium scriptori id potissimum spectandum est, ne quid memoratu dignum omittat neve ordinem temporum pervertat. Ipse Thucydides summa arte historica utrumque genus opere suo conjunxit; Xenophon autem, quum non ipse historiam conscriberet, sed eorum quae ille imperfecta reliquerat, epitomen modeste exornatam edere contentus esset, ad simplicissimam annalium rationem supplementum suum conformavit. Jam, quum in opere proprie historico res, quae vel minoris momenti vel a summo argumento paulo remotiores sunt, aut omitti aut cum ipso filo narrationis diligentius contexi soleant; scriptori annalium licet, ejusmodi facta quae duobus verbis absolvere vult, simpliciter ita memorare ut nullo alio nisi temporis vinculo cum ceteris nexa videantur, dummodo ad c e r t u m quoddam tempus ea referat. Si vero temporis notam, qua tamquam adminiculo sustinebantur, iis subtraxeris, ineptissime et prorsus ridicule inter ceteras res uberius descriptas collocata videbuntur. Talia apud Xeno-

phontem sunt fere omnia quae verbis κατὰ δὲ τὸν καιρὸν τοῦτον vel τῷ δ' αὐτῷ χρόνῳ cum antecedentibus connectuntur. Videas exempli causa l. I, c. 1, s. 32. 33; c. 2. s. 18. Verum pleraque ejus generis conjunxit scriptor cum notis exacti aut incipientis anni. Sane Brückner ista temere e textu ejicit; nec tamen prorsus omnia quae suae sententiae repugnant tollere ausus est. Ita finem cap. 1. et initium cap. 2., deletis sect. 37. et priore parte sectionis 1., hoc modo conjunxit: „— αἱ δ' ἄλλαι (sc. naves Clearchi) — εἰς Βυζάντιον ἐσώθησαν. Καὶ Ἀθηναῖοι μὲν Θορικὸν ἐτείχισαν, Θρασύλος δὲ τά τε ψηφισθέντα πλοῖα λαβὼν — ἐξέπλευσεν — εἰς Σάμον.“ — ubi vide quam inepte ita scriptor tria facta diversissima uno tenore quatuor lineis comprehenderet atque legentes vago cursu Byzantio Thoricum, inde Athenas, inde Samum raperet.

Unum modo est quo sententiam Brückneri commendari aliquis putaverit. Constat priorem partem Historiae Graecae complecti septem annos ab auctumno 411 ad auctumnum 404, vel, si belli annos a vere ad ver vergentes numeramus, alterum semestre anni vicesimi primi, deinde sex annos solidos, a 22. ad 27., postremo sex menses qui exacto vicesimo septimo usque ad Sami deditionem supererant. Igitur septies debebat exacti anni novique cum vere incipientis mentio fieri. Jam vero verba τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει sive τῷ δ' ἄλλῳ ἔτει tantum quinquies [1]) reperiuntur, uno praeterea loco scriptor pro solemni ea formula usus est verbis ἀρχομένου δὲ τοῦ ἔαρος [2]) quibus idem significari apparet. Septima anni exacti vel incipientis nota nusquam invenitur. Num igitur putemus Xenophontem tam negligenter egisse, ut quum opus secundum annos belli describere instituisset, unius anni initium notare oblivisceretur? Profecto hoc parum probabile videtur; sed nihilominus equidem malo id credere quam cum Brücknero universam annorum descriptionem ex libris tollere. Verum alia ratione difficultatem explicari posse infra videbimus.

(X). Venio ad eam quaestionem quae summa mei propositi est: quomodo res priore parte Historiae Graecae memoratae per septem illos annos digerendae sint, vel — quod idem valet — ubinam illud anni initium quod Xenophon non notavit quaeri debeat? Qui primus chronologiam Xenophonteam accuratius investigare suscepit, H. Dodwell [3]), docuit inter singulos locos ubi Xenophon anni exacti vel veris ineuntis mentionem fecerit, singulos annos interjectos esse, primo autem libri I capite non modo sex sed duo et viginti mensium res contineri, ut cap. 2, s. 1. ubi primum illa formula τῷ δὲ ἄλλῳ ἔτει occurrit, vicesimus tertius belli annus inceperit, vicesimi alterius initium, quod in libris non sit notatum, circa sect. 12. cap. 1. quaerendum sit. Quare pugnam Cyzicenam ineunti aestati a. 410, Thrasyli expeditionem Ionicam aestati a. 409 assignavit, Byzantium exeunte anno Juliano 408 ab Alcibiade captum putavit. Dodwelli auctoritatem plerique viri docti secuti sunt

1) I, 2, 1; 3, 1; 6, 1; II, 1, 10; 3, 1. —
2) I, 4, 2. —
3) De cyclis diss. VIII, s. 22. sq. et in Chronologia Xenophontea. —

donec F. Haacke [1]) aliam viam iniit. Is enim l. I. capite primo unum modo semestre quod interfuit inter auctumnum 411 et ver 410 comprehendi contendit, pugnam Cyzicenam circa Februarium 410 commissam, expeditionem Thrasyli aestate 410 factam, Byzantium exeunte anno Juliano 409 captum, Pharnabazum vere 408 Gordio profectum esse; inde igitur ad illud ver, quo Lysander iterum imperium classis susceperit (405), etsi duo modo anni a scriptore notentur, tres tamen interjectos esse. Haackii sententia probata est duobus viris, sagacissimis temporum indagatoribus, A. Böckh [2]) et C. G. Krüger [3]), qui argumentis Haackii novum quoddam adjecit; eandemque postea nostrates qui de re disseruerunt, fere omnes in universum secuti sunt: Sievers, Peter, Volckmar, Westermann [4]), L. Dindorf, L. E. Herbst [5]), Vischer [6]), Herzberg [7]), Breitenbach, C. Fr. Hermann [8]), alii. Contra in Dodwelliana ratione perstiterunt Clinton [9]), chronographorum qui nunc sunt facile princeps, Arnold editor Thucydidis, G. Wachsmuth [10]), G. Grote. Verum quantuscunque est numerus eorum qui rem eam attigerunt, nemo eam ab omni parte pertractavit; quare priusquam sententiam ferre liceat, ipsa quaestio denuo accuratius instituenda est.

Dodwell ut capite primo duodeviginti mensium historiam continere censeret duplici ratione permotus erat. Primum enim plures res illo capite relata videbantur quam quas unum semestre caperet; deinde e Diodoro colligebat, pugnam Cyzicenam post initium veris commissam esse. Diodorus [11]) enim Mindarum Lacedaemoniorum nauarchum narrat exeunte hieme (*ἤδη τοῦ χειμῶνος λήγοντος*) primos pugnae apparatus fecisse, unde ad ipsam pugnam nonnullae hebdomades praeteriisse videntur. Verum Haacke primum quidem negat Diodori auctoritati tantum tribuendum esse; deinde etiamsi quod ille prodidit recte se habeat, nihilominus pugnam Cyzicenam ad Februarium referri, et quae postea usque ad novi anni initium a Xenophonte memorantur, eodem illo anno vicesimo primo includi posse contendit. Sed hoc postremum non recte ab Haackio statui, nec, si Mindarus revera exeunte hieme pugnam parare coeperit, annum qui I, 2, 1. inchoatur, vicesimum alterum haberi posse, infra demonstrabo. Diodori autem in chronologia fidem minimam esse nemo

---

1) Dissert. chronol. de postremis belli Pelop. annis. Stendal. 1822. —

2) Corp. inscr. vol. I, p. 161. sq. —

3) In ed. Clint. Fast. Hell. vol. II. ad ann. 409, 2; 408, 2; 407, 2; Histor. phil. Stud. II, p. 150. sq. — Idem tamen postea sententiam mutasse videtur. Etenim in quarta edit. Exped. Cyri ad l. I, c. 1. s. 2. haec adnotavit: „*Als Karanos wurde Kyros 407 v. Chr. G. von seinem Vater nach Sardes geschickt, um die Lakedämonier gegen Athen zu unterstützen.* Xen. Hell, I, 4, 3.“ —

4) Ap. Pauly, Realencyclop. vol. V. s. v. Peloponnesiacum bellum. —

5) Die Rückkehr des Alcibiades, p. 60. Die Schlacht bei den Arginusen, p. 85. sq. —

6) Lysander und Alcibiades p. 60. —

7) Alcibiades p. 337. 339. 341. 344. —

8) Lehrb. d. Staatsalt. 166, 13. —

9) Fasti Hall. vol. II, p. 219 sq. 235. ed. III.

10) Hellen. Alterthumsk. I, p. 880 sq.

11) XIII, 49. —

prudentior hodie infitiabitur. Atque ea ipsa operis pars cui olim docti homines maxime confidebant, descriptio annorum, fide minime digna est. Videtur enim Diodorus — quem pauci, puto, omnium temporum scriptores negligentia et inscitia superaverunt — in historia disponenda hanc fere rationem secutus esse, ut primum quidem catalogum olympiadum et magistratuum sibi conficeret, tum autem paucas modo historiae Graecae epochas, auctoribus bonis et chronologiae peritis usus, diligentius definiret; in ipsa vero rerum narratione rhetoricos potissimum scriptores, qui opera sua aut omnino non secundum annos disposuerant, aut archontibus hos vel Olympiadibus notare omiserant, prae ceteris Ephorum, compilasse videtur. Quae igitur apud hos repererat, ea libidine magis quam consilio et veritatis studio inter annos catalogi sui distribuit, contentus plerumque, universum rerum ordinem fere servare et cuique anno portionem quandam rerum, quam sufficere putaret, assignare; interdum autem ne hoc quidem curans, ut res, quas in eundem annum conferciebat, eodem anno omnes perfici p o t u i s s e viderentur. Quare quum tanta ejus fuerit negligentia et temeritas, fieri non potuit quin in plurimos errores induceretur; quoties autem et quantopere in prioribus belli Peloponnesiaci annis describendis erraverit optime perspicitur ex tabula qua Sievers Diodoream horum annorum chronologiam cum Thucydidea comparavit [1]). Jam vero id paene ridiculum est quod Sievers ait „Diodorum, simulac Thucydides defecerit, viribus quasi augeri, ex negligentissimo scriptore evadere diligentissimum, ita ut ejus narrationes et summi sint momenti, et iis, quae Xenophon omisit supplemento esse possint“[2]). Nam si in historia Ionici et Deceleici belli non plane totidem errorum quam in historia belli decennalis coargui potest, nulla alia causa est nisi quod ibi cum Xenophonte modo, interpolationibus obscurato, non cum Thucydide comparari potest. Mihi ibi quoque Diodori narrationes exigui momenti, annorum autem descriptiones vel minimi vel prorsus nullius usus esse videntur. Attamen illis verbis *τοῦ χειμῶνος λήγοντος* paulo plus auctoritatis quam descriptioni annorum Diodoreae tribuerim. Ea enim Diodorus ex Ephoro vel alio prisco historico plane sic in suum opus transtulisse videtur. Etenim quo anni tempore singula quae memorat gesta sint, de ea re ipse Diodorus ne cogitare quidem solet. Verum ita quoque res incerta est, quum liceat dubitare num ipse Ephorus de talibus rebus locuples testis sit.

(XI). Verum si argumenta Dodwelli ab Haackio refutantur, inde nondum efficitur, Dodwellum in computatione annorum errasse; ipsius Haackii argumenta prius examinanda sunt.

Pylus (sive Laconico nomine Coryphasium) a Lacedaemoniis recepta est hieme ejus anni qui incipit l. I, c. 2, 1 [3]). Eandem rem paulo uberius Diodorus narrat, sed de tempore sibi ipse repugnat: dicit enim, receptam esse archonte Diocle (Ol. 92, 4; 409/8) quum viginti quinque annis ab Atheniensibus occupata fuisset [4]). Occupatam autem constat

1) l. l. p. 107. sq.
2) l. l. p. 8. Idem iisdem verbis repetit Volkmar l. l. p. 25. —
3) H. Gr. I, 2, 18. —
4) Diod. XIII, 64. —

ineunte aestate 425, septimo belli anno; jam si Athenienses viginti quinque annos eam tenuerunt, Lacedaemoniis reddita est archonte Glaucippo (Ol. 92, 3; 410/9), vicesimo altero belli anno. Hunc igitur annum capite 2. Xenophontis comprehendi Haacke colligit; Diodorum enim archontem falsum, numerum annorum verum prodidisse. Sed hoc incertum est: Diodorus etiam in numeris ejus generis erravit [1]); et si illum quidem numerum putaveris pariter ac verba *τοῦ χειμῶνος λήγοντος* de quibus dixi, ad Ephorum referendum esse, tum Ephorus sibi ipse repugnaret, nec melius esset Haackii argumentum quam illud Dodwellianum esse ei concessimus.

Aeque invalidum alterum est quo Haackii sententia nititur. Affert enim ipsius Xenophontis testimonium qui c. 3, s. 1, diserte confirmet ibi demum vicesimum alterum annum exactum esse. Sed satis demonstravi quantopere tres illi annorum numeri, qui c. 3, s. 1; c. 6, s. 1; l. II, c. 1, s. 7. leguntur, suspecti sint. Et posteriores quidem duos falsos esse ipse Haacke existimat, unde satis apparet, ne primum quidem posse ad testimonium vocari.

Quum Atheniensium imperatores circa Bosporum bellum gererent, Pharnabazus iis promisit, se legatos populi ad regem Persarum conducturum esse. Legati Athenis profecti sunt, cum Pharnabazo Cyzicum convenerunt, indeque Gordium cum eo abierunt [2]). Ibi quum hiemarent, audierunt Byzantium ab Alcibiade captum esse. Initio veris Gordio profectis obviam fit Cyrus a patre ad Asiam minorem administrandam missus. Hoc postulante Pharnabazus legatos diu in Phrygia retinet, variisque praetextibus eludit; denique quum tres anni praeterissent, dimissi sunt Cium, Mysiae oppidum, unde ad exercitum Atheniensium navigarunt [3]). Inde Haacke colligit, Cyrum vere a. 408, non ut Dodwell statuit 407, in Phrygiam venisse, Byzantium hieme anni vicesimi tertii (409 — 408) non vicesimi quarti (408 — 407) captum esse. Nam si legati a vere 407 tres annos a Pharnabazo retenti essent, postremo non potuissent ad exercitum Atheniensium navigare, quia vere 404 nullae Atheniensium copiae foris erant, imo ipsa urbs eo tempore Lacedaemoniis dedita est. Haec satis speciosa sunt; verum Xenophon non dicit Pharnabazum legatos tres annos retinuisse. Verba scriptoris eam quoque interpretationem admittunt ut significent legatos tribus annis postquam Athenis abierint rursus ad cives suos pervenisse. Itaque si Athenis aestate 408 profecti sunt, circa Januarium 407 Byzantium captum est, vere 407 Cyrus

---

1) Cf. XIII, 42. ubi Thucydidem, qui vicesimum primum belli annum non absolvit, dicit viginti duorum annorum spatium opere complexum esse. —

2) H. Gr. I. 3, 8. 9. 13. 14. —

3) H. Gr. I, 1 — 7: „— (s. 5.) *Κῦρος δὲ Φαρναβάζῳ εἶπεν ἢ παραδοῦναι τοὺς πρέσβεις ἑαυτῷ, ἢ μὴ οἴκαδέ πω ἀποπέμψαι, βουλόμενος τοὺς Ἀθηναίους μὴ εἰδέναι τὰ πραττόμενα· (6) Φαρνάβαζος δὲ τέως μὲν κατεῖχε τοὺς πρέσβεις, φάσκων τότε μὲν ἀνάξειν αὐτοὺς παρὰ βασιλέα, τότε δὲ οἴκαδε ἀποπέμψειν, ὡς μηδὲν μέμψηται. (7) ἐπειδὴ δὲ ἐνιαυτοὶ τρεῖς ἦσαν, ἐδεήθη τοῦ Κύρου ἀφεῖναι αὐτούς, φάσκων ὀμωμοκέναι ἀπάξειν ἐπὶ θάλατταν, ἐπειδὴ οὐ παρὰ βασιλέα. πέμψαντες δὲ Ἀριοβαρζάνει παρακομίσαι αὐτοὺς ἐκέλευον, ὁ δὲ ἀπήγαγεν εἰς Κίον τῆς Μυσίας, ὅθεν πρὸς τὸ ἄλλο στρατόπεδον ἀπέπλευσαν.*“ —

in Phrygiam venit, Pharnabazus legatos retinuit usque ad aestatem 405, quo tempore, non-multo ante quam apud Aegospotamos pugnatum est, ad suos reverterunt. Quare ne hoc quidem argumento quidquam efficitur,

Cyrum jam vere 408 in Asiam minorem venisse, non modo e Xenophonte sed etiam ex Thucydide colligi Krüger contendit. Locus Thucydidis ad quem provocat hic est, l. II, c. 65: „σφαλέντες δ᾽ ἐν Σικελίᾳ (sc. Athenienses) ἄλλῃ τε παρασκευῇ καὶ τοῦ ναυτικοῦ τῷ πλείονι μορίῳ καὶ κατὰ τὴν πόλιν ἤδη ἐν στάσει ὄντες ὅμως τρία μὲν ἔτη ἀντεῖχον τοῖς τε πρότερον ὑπάρχουσι πολεμίοις καὶ τοῖς ἀπὸ Σικελίας μετ᾽ αὐτῶν καὶ τῶν ξυμμάχων ἔτι τοῖς πλείοσιν ἀφεστηκόσι, Κύρῳ τε ὕστερον βασιλέως παιδὶ προςγενομένῳ, ὃς παρεῖχε χρήματα Πελοποννησίοις ἐς τὸ ναυτικόν· καὶ οὐ πρότερον ἐνέδοσαν ἢ αὐτοὶ ἐν σφίσι κατὰ τὰς ἰδίας διαφορὰς περιπεσόντες ἐσφάλησαν. τοσοῦτον τῷ Περικλεῖ ἐπερίσσευσε τότε ἀφ᾽ ὧν αὐτὸς προέγνω καὶ πάνυ ἂν ῥαδίως περιγενέσθαι τῶν Πελοποννησίων αὐτῶν τῷ πολέμῳ.“ Krüger existimat verba *Κύρῳ τε ὕστερον* respondere verbis *τρία μὲν ἔτη*, et particula *τε* respici particulam *μὲν*; ut sententia haec sit: „Athenienses post cladem Syracusanam primum quidem tres annos restiterunt prioribus hostibus et Siceliotis sociisque ipsorum, qui cum illis se conjunxerant; deinde autem etiam Cyro quum is ad hostium numerum accessisset.“ Tres igitur annos a clade Syracusana, quae auctumno a. 413 accidit, usque ad Cyri adventum bellatum esse. Etenim hiemem 413 et priorem partem aestatis sequentis bello parando esse consumptam, neque ante auctumnum 412 pugnandi initium factum. Inde autem usque ad ver 408 triennium praeterisse et nonnullos insuper menses, quos quidem Thucydides eo majore jure neglexerit, quoniam fuerint hiberni, qui in navali praesertim bello vix numerandi sint [1]). Istam computationem, quae soli auctori non mirifica visa est [2]), omnes interpretes Thucydidis merito rejecerunt. Eodem jure aliquis diceret, bellum Peloponnesiacum tot menses durasse, quot, omnibus diebus quibus proeliatum sit computatis, effiicerentur. Athenienses „resistebant hostibus“ jam hieme anni 413, quum contra Pelonnesiorum apparatus et ipsi bellum navale pararent, quum Lacedaemonii Deceleam tenerent, agros vastarent, commeatus interciperent, Athenae „ex urbe castellum factae“ die nocteque ab hoplitis custodirentur [3]). Neque haec hiems neque hiems anni 409, qua ex Haackii sententia Byzantium captum est, omittenda

---

1) „*So wären bis zu Kyros Ankunft in Sardes wirklich nicht viel mehr als drei Jahre verflossen, der Ueberschuss fast nur Wintermonate, die schon an und für sich bei einem Kriege, besonders einem zur See geführten, wenig in Anschlag kommen, und vom Thukydides, der doch eine volle Zahl geben musste gar nicht einmal kürzlich berücksichtigt werden konnten.*“ *Hist. ph. St. p. II, p.* 153. —

2) „*Indess — meine wunderliche Beweisführung beruht wirklich wesentlich nur darauf, dass* $8 + 3 = 11$ *ist. Nichts weiter? Nein in der That nicht.*“ *Hist. ph. St. II, p.* 152. —

3) Thuc. VII, 28: „Τῶν τε πάντων ὁμοίως ἐπακτῶν ἐδεῖτο ἡ πόλις, καὶ ἀντὶ τοῦ πόλις εἶναι φρούριον κατέστη· πρὸς γὰρ τῇ ἐπάλξει τὴν μὲν ἡμέραν κατὰ διαδοχὴν οἱ Ἀθηναῖοι φυλάσσοντες, τὴν δὲ νύκτα καὶ ξύμπαντες, πλὴν τῶν ἱππέων, οἱ μὲν ἐφ᾽ ὅπλοις ποιούμενοι, οἱ δ᾽ ἐπὶ τοῦ τείχους, καὶ θέρους καὶ χειμῶνος ἐταλαιπωροῦντο.“ —

erat; quare, si Cyrus a. 408 Sardes pervenit, Athenienses quatuor annos et dimidium usque ad ejus adventum restiterant. Praeterea advertendum est Thucydidem l. l. extollere vires reipublicae Atheniensium, quae tot hostibus tam diu resistere potuerit. Eone igitur loco, quo quisque rhetor numerum annorum supra verum auxisset, Thucydidem illum infra verum diminuisse credamus? Verum universa interpretatio loci, quam Krüger proposuit, rejicienda est. Inepte fecisset Thucydides, si id modo dixisset quot annos ante adventum Cyri hostibus restiterint, tacuisset autem, quamdiu etiam quum ille hostium numerum opesque auxisset, in resistendo perseveraverint. Aptius certe hoc posterius quidem dixisset, prius illud tacuisset; atque hoc modo eum intelligunt Arnold et Clinton, qui, quum Thucydidem tres annos ab adventu Cyri ad exitum belli numerasse censeant, ex eodem loco colligunt, Cyrum vere 407 Sardes venisse. Verum hi quoque falluntur; nam si id scriptor dicere voluisset, verba *τρία ἔτη* post verba *Κύρῳ προςγενομένῳ* collocasset. Nunc autem non est dubium quin Thucydides definire voluerit, quot annos post cladem Syracusanam bellum sustinuerint; numerus igitur cum Haackio est corruptus habendus; etsi non ut is vult *δέκα* sed potius *ὀκτώ* scribendum esse censeo [1]), quia octo annis post cladem Syracusanam pugna apud Aegospotamos commissa est. Quod autem Krüger ita particulae *μέν* locum esse negat, ne id quidem recte disputatum est; respondent enim verbis *τρία μὲν ἔτη* verba *καὶ οὐ πρότερον ἐνέδοσαν,* quum sententia haec sit: „Athenienses octo quidem annos restiterunt hostibus, etsi horum numerus viresque magis magisque augebantur; neque antea cesserunt quam ipsorum dissensione novam cladem ingentem sibi peperissent [2]).“

His omnibus argumentis ad computationem Haackianam probandam nihil profici vidimus; restat unum idque non prorsus spernendum. Athenienses quum ineunte hieme anni vicesimi primi (Octobri vel Novembri 411 a. Chr.) Mindarum navali pugna prope Abydum vicissent, unus ex imperatoribus, Thrasylus, Athenas abiit ut victoriam nuntiaret et copias pedestres navesque postularet. Id postquam scriptor dixit l. I, c. 1, s. 9, sequentibus Thrasyli nullam mentionem facit, sed pugnam Cyzicenam aliasque quasdam res narrat; demum s. 33. Thrasylum dicit, quum Athenis versaretur, Agidem, sub ipsa moenia urbis progressum, in fugam compulisse; tum s. 34. ita pergit: *„οἱ οὖν Ἀθηναῖοι τῷ Θρασύλῳ διὰ ταῦτα ἔτι προθυμότεροι ἦσαν ἐφ᾽ ἃ ἧκε, καὶ ἐψηφίσαντο ὁπλίτας τε αὐτὸν καταλέξασθαι χιλίους, ἱππέας δέ ἑκατόν, τριήρεις δὲ πεντήκοντα.“* Deinde ss. 35 — 37 refert Lacedaemonios suasu Agidis Clearchum cum quindecim navibus in Bosporum misisse, eumque nonnullis navibus amissis Byzantium pervenisse; et exiisse annum, quo Poeni Selinuntem et Himeram ceperint. Capite altero deinde novum annum incipit narratque Thrasylum ineunte aestate cum copiis quas populus ei decrevisset, Athenis in Ioniam profectum, post minora quaedam proelia pu-

---

1) Fortasse ex nota *ΠΙΙΙ* excidit litera *Π*. —

2) Verbum *ἐσφάλησαν* respondet verbo *σφαλέντες*. hoc cladem Syracusanam, illud cladem ad Aegospotamos indicat. Igitur Thucydides quoque confirmat eorum opinionem qui causam cladis ad Aegospotamos acceptae ad proditionem imperatorum referunt. —

gna pedestri apud Ephesum magnam cladem accepisse (c. 2, 1 — 11). Inde Haacke colligit caput alterum, quo Ionica Thrasyli expeditio memoratur, historiam anni vicesimi alterius, non vicesimi tertii continere; incredibile enim esse, populum quum ad ea quae Thrasylus peteret decernenda et perficienda pronus esset, viginti aut duodeviginti annos eum Athenis retinuisse. Argumentum certe id est, quod, si nulla gravior ratio computationi Haackianae obstaret, nos quoque permoveret ut eam probaremus; verum non sufficit ut rem omni dubitatione eximat: potuit enim fieri ut Thrasylus aliqua causa quam Xenophon non memoravit tamdiu Athenis retineretur. Itaque antequam controversiam dijudicare audeamus, ante omnia videndum est, quonam modo Haacke et qui eum sequuntur, ea quae ab initio cap. 2. usque ad libri II, cap. 2. exitum memorantur, inter sex annos qui a vere 410 ad ver 404 praeterierunt, distribui velint; vel — quod idem est — ubinam ipsi eum annum cujus initium Xenophon non diserte indicavit, incipere statuant.

(XII). Et ipsius quidem Haackii computatio ea est, quam jure mireris tot viris doctis et sagacibus placuisse. Audiamus primum, quomodo ipse eam exponat. „Dodwellus", ait, „cum temporis notationem jam l. I, c. 1, s. 10. desideraret, ibique annum belli 21. ad finem deductum opinaretur, trium sequentium annorum rationes plane pertubavit ut supra vidimus. Ergo alibi quaerendum videtur omissae temporis notae vestigium. Quod nos quidem ibi deprehendisse nobis videmur, ubi de Alcibiadis et Lysandri rebus gestis traditur, l. I, c. 5, s. 1 — 15. Ab eo enim tempore quo Lysander primum cum imperio in Asiam missus est, quod de more factum ab initio anni Lacedaemoniorum, quod incidit in Octobrem nostrum, Xenophon a naturalium annorum distinctione paulatim delapsus est ad temporum descriptionem civili Lacedaemoniorum anno congruentem. Tametsi enim Thucydidis exemplo et more, naturalis anni, i. e. hiemis, finem memorare non negligit, tamen narrationem incipit a novo Spartanorum nauarcho, veluti Callicratida et deinde Lysandro, tamquam per aestatem praecedentem nulla res narratione digna evenisset, vel potius illae, quas accidisse priore anni naturalis parte credibile est, ad praecedentem annum pertinerent, quo non poterit referre nisi is qui civilis anni Lacedaemoniorum sequitur rationem. — Ita quae apud Xenophontem l. I, c. 5. usque ad c. 6, s. 2. leguntur, complectuntur ea quidem res gestas unius integri anni Spartanorum, duorum naturalium annorum dimidias partes, quibus temporis nota, numerum belli annorum indicans[1]) non erat subjicienda, quod prorsus alieno loco fiebat, sed interjicienda. Nam inde a c. 4, s. 2. usque ad c. 6, s. 1. extr. octodecim menses ideoque integer annus et sex menses naturalis anni, a vere incipientis, elapsi erant." Similiter deinde ea quoque, quae a l. I, c. 6, s. 2. usque ad l. II, c. 1, s. 10. narrantur, menses duodeviginti ab auctumno 407 ad ver 405 complecti censet. Statuit igitur Lysandrum Cratesippidae in nauarchia successisse[2]) auctumno 408; Alci-

1) I, 1, 5: „*Τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἔτει — οἱ Λακεδαιμόνιοι τῷ Λυσάνδρῳ παρεληλυθότος ἤδη τοῦ χρόνου καὶ τῷ πολέμῳ τεττάρων καὶ εἴκοσιν ἐτῶν, ἔπεμψαν ἐπὶ τὰς ναῦς Καλλικρατίδαν.*"

2) I, 5, 1: „*Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι πρότερον τούτων οὐ πολλῷ χρόνῳ Κρατησιππίδᾳ τῆς ναυαρχίας παρεληλυθυίας Λύσανδρον ἐξέπεμψαν ναύαρχον.*" —

biadem post Antiochi cladem imperio remotum esse[1]) vere 407; Callicratidam, quum Lysandro nauarcho successisset[2]) auctumno 407, apud Arginusas cecidisse[3]) Julio 406; Lysandro iterum classis imperium, auspiciis Araci nauarchi, mandatum esse[4]) vere 405.

Lysandrum et Callicratidam — cujus adventu scriptor novum annum orditur — auctumno, non vere, nauarchos factos esse, ante Haackium etiam Dodwell et Clinton docuerant, etsi rationes eorum neque cum Haackiana neque inter se plane conveniunt. Dodwell statuit Lysandrum auctumno 408 primum classis imperium suscepisse, cessisse Callicratidae auctumno 406, eodem tempore Alcibiadi imperium abrogatum esse, aestate 405 Callicratidam apud Arginusas cecidisse, auctumno 405 Aracum nauarchum factum esse. Nihilominus Xenophontem existimat annos belli vicesimum quintum, sextum, septimum, sicut priores, a vere ad ver duxisse, sed negligentia quadam nonnullos commisisse errores: Lysandri enim priorem adventum, qui anno belli 24. evenerit, assignasse anno 25.; Alcibiadem magistratu motum non ut deberet anno 26., sed 25., pugnam apud Arginusas non ut deberet anno 27. sed 26. narrasse. Sed errasse Dodwellum, non Xenophontem, manifestum est; nam apud Arginusas non a. 405 sed 406, apud Aegospotamos non ut Dodwell putat, circa solstitium hibernum anni 405 sed auctumno vel aestate ejus anni pugnatum esse, et ex Xenophonte aliisque documentis certissimis luce clarius apparet, et a Clintono probatum est, et omnino nunc inter homines historiae Graecae peritos constat.

Clintoni sententia eatenus convenit cum Haackiana quod is quoque ei anno qui incipit I, 4, 2, duodeviginti menses tribuit; sequenti autem qui I, 6, 1. incipit, Clinton sex modo menses concedere potest, quoniam Alcibiadem anno posterius quam Haacke, vere 407, non 408, Athenas redisse statuit. Lysandrum igitur existimat nauarchiam iniisse auctumno 407; Alcibiadem imperio remotum esse vere 406; Callicratidam imperium suscepisse auctumno 406 eodemque auctumno pugna apud Arginusas cecidisse; denique vere 405 Lysandrum Araci *ἐπιστολέα* ad classem venisse. Verum hic quoque fallitur; nam quas res ab adventu Callicratidae usque ad Pyanepsionem (Octobrem) 406, quo mense ut ipse docet, imperatores apud Arginusas victores damnati sunt, gestas esse e Xenophonte colligitur[5]), eae nullo modo possunt uno mense auctumnali includi.

Sed vix opus esse videtur, illas virorum doctorum opiniones singillatim refutare. Etenim pariter incredibile est, Xenophontem in rerum temporibus constituendis aut mera negligentia tam turpiter, quam Dodwell putavit, peccasse, aut tam absurda consilii inconstantia usum esse, ut initio quidem tres belli annos, 21um, 22um, 23um, secundum exem-

---

1) I, 5, 16. 17. —
2) I, 6, 1. Locum modo adscripsi. —
3) I, 6, 33. —
4) II, 1, 7: „*Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι ἔδοσαν τὸν Λύσανδρον ὡς ἐπιστολέα, ναύαρχον δὲ Ἄρακον· οὐ γὰρ νόμος αὐτοῖς δὶς τὸν αὐτὸν ναυαρχεῖν· τὰς μέντοι ναῦς παρέδοσαν Λυσάνδρῳ, ἐτῶν ἤδη τῷ πολέμῳ πέντε καὶ εἴκοσι παρεληλυθότων.*“ Cf. s. 10: „*Τῷ δ᾽ ἐπιόντι ἔτει — Λύσανδρος ἀφικόμενος εἰς Ἔφεσον*“ *κτλ.* —
5) I, 6, 1 — I, 7, 34. —

plum Thucydidis a vere ad ver perduceret, tum autem, hujus rationis subito oblitus, non jam a vere sequenti 407, sed ab auctumno 407, quia tum Lysander imperio decessisset, novum annum ordiretur, deinde hunc ipsum annum, ita ut singulari quodam exemplo videretur duodeviginti mensium fuisse, neglecto et veris et auctumni 406 initio, deduceret usque ad ver 405, indeque postremum belli annum, communi mortalium ratione duodecim mensibus absolutum, rursus more Thucydideo describeret [1]). Xenophon nullos alios nisi belli annos respexit; hos autem a vere ad ver omnes deducendos esse etiam tum constaret, si non ipse scriptor compluribus locis id aut diserte diceret aut perspicue indicaret [2]). Vere igitur, non auctumno, Lysander imperium classis Callicratidae tradidit, quod et ipse antecedentis anni vere susceperat. Decepti sunt viri docti verbis Xenophontis, qui, postquam narravit Alcibiadem ineunte aestate Athenas redisse [3]), indeque, mysteriis circa Septembrem celebratis, novis copiis auctum Samum navigasse [4]), ita pergit [5]): „*Οἱ δὲ Λακεδαιμόνιοι πρότερον τούτων οὐ πολλῷ χρόνῳ Κρατησιππίδᾳ τῆς ναυαρχίας παρεληλυθυίας Λύσανδρον ἐξέπεμψαν ναύαρχον.*“ Verum verbo *τούτων* non id modo respicitur quod ultima cap. 4. sectione refertur Alcibiadem Samum advenisse, sed simul etiam illa quae per aestatem Athenis facta sect. 20 — 22. breviter memorantur [6]).

At, inquiunt, nauarchi auctumno, anni Laconici initio, munus auspicabantur [7]). Quod equidem miror unde sciant? Ne de eo quidem constat utrum nauarchi inter annuos et continuos magistratus sint numerandi. Certum aliquod temporis spatium nauarchis constitutum fuisse, ex locis Xenophontis quos supra adscripsi, I, 5, 1; 6, 1. recte Dodwell collegisse videtur. Sed quantum id fuerit, dubium est. Teleutias et Antalcidas belli Corinthii tempore ultra annos singulos in magistratu fuisse videntur; Cratesippidas autem nauarchus biennium adeo compluribus diebus superavit [8]). Biennium igitur justum nauarchiae tempus fuisse Dodwell existimavit [9]); quae ejus opinio praecipua fuit causa, cur chronologiam postremorum belli annorum sic ut vidimus turbaret. Nam si Lysander, qui exacto demum suo tempore Callicratidae cessit, duos annos imperium tenuerat, necesse erat eum jam a. 408 munus suscepisse. Verum sententia illa et ipsa parum probabilis videtur, et sunt etiam testimonia quae ei adversantur. Ita aestate 401 Samius nauarchus Cyrum usque

1) Cf. Peter. l. l. p. 64. 65; Herbst, die Rückkehr des Alcibiades, p. 60; Idem, die Schlacht bei d. Arginusen p. 85. 86. —

2) I, 2, 1. 17 — 19; 3, 1; 4, 2; II, 1, 10. coll. s. 1. 6. —

3) I, 5, 8 — 19. —

4) I, 5, 20 — 23. —

5) I, 6, 1. —

6) Herbst ll. ll; Cf. Vischer l. l. p. 60. —

7) Ita, Dodwellum secuti, Haacke, Clinton, Sievers, Westermann. Contra existimant Peter et Herbst, cujus conjectura: „nauarchos auctumno una cum reliquis Lacedaemoniorum magistratibus designatos esse, vere demum imperium suscepisse“ aeque inutilis et temeraria est. —

8) Xen. H. gr. I, 1, 32. coll. 5, 1. —

9) l. l. sect. 24. et in Chronologia Xenophontea ad ann. IV. et XXIII. Cf. Duker. ad Thuc. II, 80; Manso, Sparta II, p. 381 sq. —

in Ciliciam classe prosecutus est [1]); postea ubi Graeci Cyrei aestate 400 Cotyora et deinde Chrysopolin venerunt, nauarchus erat Anaxibius [2]): et huic rursus auctumno successit Polus [3]). Anaxibius igitur unum modo annum explevit nec videtur ante legitimum exitum imperio remotus esse. Quare suspicor legitimum nauarchiae spatium fuisse annuum; sed leges Spartanas, quum vetarent eum qui nauarchus jam fuerat iterum eodem magistratu fungi [4]), id tamen remisisse virtuti et peritiae nauticae, ut si quis suo anno rem bene gessisset, eidem in annum proximum prorogaretur imperium. Ita illud quoque intelligetur, qua ratione Lysander et amici ejus conqueri potuerint [5]), quod ipsi anno suo exacto imperium non ut Cratesippidae prorogatum sed successor missus esset Callicratidas. Sed si legitimum tempus nauarchorum annuum erat, inde nondum sequitur, eos ineunte anno civili semper imperium suscepisse. Fortasse, pariter atque harmostae aliique praefecti militares, tum modo solebant creari quum opera eorum requirebatur. Pleraque enim militaria imperia apud Lacedaemonios videntur annua fuisse; quare quoties imperatores aliique praefecti vere constituti erant, vere sequentis anni, nisi imperium iis prorogabatur, decedere debebant. Non recte igitur Clinton auctumnum dicit tempus quo Lacedaemoniorum consuetudine imperia militaria inceperint [6]), non satis memor eorum quae ipse dixerat ad ann. 395 de imperio Agesilai vere 396 incepto, vere 395 finito; quod etsi tum ipsi Agesilao in alterum quoque annum prorogatum est, triginta tamen Spartanis, qui imperii participes cum illo Sparta profecti erant, non auctumno sed vere successores missi sunt [7]). Dercyllidas quoque vere suscepit imperium, quod sequenti vere in alterum annum ei prorogatum est [8]). Nauarchi sane nonnulli auctumno videntur magistratum auspicati esse. Polum auctumno 400 Anaxibio successisse jam vidimus; Mnasippus quoque, hieme Ol. 101. 3 (374—373), ut videtur, creatus, imperium obtinuit ad auctumnum 373 quo a Corcyraeis pugna caesus est [9]). At Pisander certe a. 395 jam ante auctumnale aequinoctium nauarchus ab Agesilao creatus est [10]). Postea Teleutias vere 391 videtur successisse Herippidae nauarcho; is enim suffectus erat Podanemo (vel ut alii legunt, Polemarcho) quem circa ver 392 nauarchiae munus suscepisse et paulo postea occisum esse verisimile est.

---

1) H. Gr. III, 1, 1. —

2) Exped. Cyr. V, 1, 4; VI, 4, 13; VII, 1, 2—4. —

3) Exp. Cyr. VII, 2, 5. Cf. Clinton ad ann. 401 et 400. —

4) H. Gr. II, 1, 7. Legem eam non stricte servatam esse existimant Sievers, Gesch. v. Griechenland, p. 37. 38. 388; et Westermann ap. Pauly, Realencyclop. s. v. ναύαρχος. Nec tamen obliviscendum est, non quemque classis praefectum nauarchum fuisse. Cf. C. G. Krüger, de authentia Anabaseos, p. 14. —

5) I, 6, 4. —

6) Fasti Hell. vol. II, p. 333. (ed. III.): „the customary season for the commencement of Lacedaemonian command.“ —

7) H. Gr. III, 4, 20. —

8) H. Gr. III, 2, 6. coll. 1, 8. —

9) H. Gr. VI, 2, 4—31. —

10) Nam Agesilaus tum apud Cymen erat, unde profectus ἅμα μετοπώρῳ, quod aut ante aequinoctium aut non post aequinoctium incepit, in Phrygiam Pharnabazi provinciam pervenit. H. Gr. III, 4, 27—29; IV, 1, 1. —

Teleutias tum videtur duos annos usque ad ver 389 nauarchiam gessisse [1]). Qui ei successit Hierax, obtinuit munus usque ad ver 388; quo tempore Antalcidas factus est nauarchus, neque ante mensem duodevicesimum, pace circa auctumnum 387 restituta, fortasse autem demum vere 386 magistratu se abdicavit [2]). Etiam Peloponnesiaci belli priore parte Alcidas nauarchus a. 428 ante aequinoctium auctumnale successit Cnemo; is enim hieme Ol. 87, 4. (429—428 a. Chr.) imperium nondum deposuerat, Ol. 88, 1. autem (428—27) ante initium hiemis Alcidas nauarchus fuit [3]). Quod vero majoris momenti est, Mindarus non auctumno sed vere a. 411, postquam Alcibiades ab exercitu Atheniensium receptus est, successit Astyocho [4]), qui et ipse vere a. 412 videtur a Melancrida imperium suscepisse [5]). Quando Mindaro Pasippidas eique Cratesippidas, decessor Lysandri, successerit, infra definire conabor. Alterum autem Lysandri imperium maritimum quod postremo belli anno sub auspiciis Araci nauarchi gessit [6]), non auctumno sed vere 405 coepisse, et Clinton et Haacke cognoverunt, consentiuntque omnes qui post Dodwellum de his rebus scripserunt, nec potest fugere eos qui animo attento nec falsis praejudiciis praeoccupato Xenophontem legerint. Eo magis autem miror quid ii, qui auctumnum legitimum nauarchiae initium fuisse existimant, statuere velint de septem illis mensibus, inter Septembrem 406, quo Callicratidas cecidit, et ver 405, quo Aracus nauarchus factus est, interjectis? Putabuntne Eteonicum, ἐπιστολέα (ut videtur) Callicratidae, qui post hujus mortem auctumni reliqua parte et hieme classi praefuit, auctumno 406 nauarchum creatum, sed vere 405 ante anni sui exitum, cedere Araco coactum esse, quasi imparem honori; nec satis dignum qui, Lysandro exercente imperium, merum nomen nauarchi tueretur? An nauarchi creationem legitimam auctumno illo omissam et praeter ordinem ad ver insequens dilatum esse? Neutrum certe probabile est. Verum Callicratidae quoque ver fuerat initium imperii, ei autem, quum Septembri caesus esset, Lacedaemonii aut suffecerunt in reliquam anni partem Eteonicum, aut imperium certe huic commiserunt dum vere proximo novum nauarchum crearent.

(XIII). Cognovimus res a Xenophonte l. I, c. 4, s. 3 ad l. II, c. 1, s. 7, memoratas non sic, ut Haacke voluit, inter tres annos quos is inter Cyri adventum et nauarchiam Araci praeterlapsos censet, posse distribui. Videamus jam, num qua alia ratione idem rectius effici possit. Nam ii qui cum Haackio existimant, Thrasyli expeditionem Ionicam anno 410 factam, Pharnabazum cum legatis Atheniensium vere 408 Gordio profectum esse, sententiam suam non nisi ita tueri possunt ut Xenophon-

---

1) H. Gr. IV, 8, 11. 23. 24; V, 1, 2—4. Idem jam auctumno 393 duodecim navibus praefuerat; sed tum non videtur proprie nauarchus fuisse. IV, 4, 19. —

2) H. Gr. V, 1, 3—6. 25—28. —

3) Thuc. II, 93. 94; III, 16. —

4) Thuc. VIII, 85. Cf. Herbst, die Schl. bei d. Arg. p. 86. —

5) Thuc. VIII, 6. 20.

6) H. Gr. II, 1, 7. 10.

tem posteriore parte l. I a cap. 4. sect. 2. ad l. II, 1, 7. trium annorum spatium comprehendisse statuant. Quare, quoniam unius modo anni initium inter istos locos memoratur, (adventus Callicratidae I, 6, 1.), necessario initium anni a scriptore neglectum aut inter I, 4, 3. et I, 6, 1. quaerendum esset, ut Callicratidas duobus annis post Cyri adventum, vere 406, nauarchus factus esset; aut inter I, 6, 1. et II, 1, 7, ut Callicratidas vere 407 magistratum inisse, indeque ad Araci adventum biennium praeterisse videretur. Videamus primum, num annus a scriptore non notatus inter ll. I, 4, 4 et I, 6, 1 quaeri possit.

Res gestae quae ibi memorantur, hae fere sunt. Pharnabazus cum legatis, veris initio Gordio interiorem Asiam versus modo profectus, obviam fit Cyro, quo imperante legatos diu detinet. Alcibiades qui hieme adventum Cyri praecedente Byzantium ceperat, in patriam redire cupiens, in Cariam, inde Samum, inde Parum, inde ad oram Laconicae, denique Plynteriorum die (circa Majum aut Junium) Athenas navigat ubi interea strategus erat creatus. Populus summum belli imperium ei committit novosque delectus decernit. Ipse quum celebrasset mysteria (circa auctumnale aequinoctium), instructa classe et exercitu delecto, Andrum proficiscitur, fugat Andrios, inde post paucos dies, Conone ad oppidum obsidendum ibi relicto, solvit Samum. „Non multo antea“ Lysander imperium classis Laconicae susceperat. Is Ephesi oppertus est dum Cyrus Sardes veniret, deinde pecunia ab eo instructus, classem Ephesi instauravit, proelium autem detrectavit. Alcibiade Phocaeam ad visendum Thrasybulum profecto, Antiochus, cui ille imperium commiserat, a Lysandro in portu Ephesi fugatur. Athenienses nuntiata pugna novos decem strategos creant, Alcibiades exercitum relinquit; cujus imperium mandatur Cononi qui etiam tum Andrum obsidebat. Is classe ad septuaginta naves reducta praedationibus orae hostilis adversarios vexare coepit. Tum ineunte novo anno Lysandro successit Callicratidas. Haec omnia duos belli annos explevisse existimant Herbst et Peter. Et illius quidem sententia haec est [1]). Vicesimum quartum belli annum contineri cap. 4. ss. 2—7. ubi narratur legatos Cyro obviam factos, a Pharnabazo, retentos et postea liberatos esse; reliqua omnia ad annum 25. esse referenda, ut Cyrus advenerit vere 408, Alcibiades Athenas reverterit aestate 407. Notam autem incipientis anni 24. non a Xenophonte esse omissam sed ab interpretibus non animadversam; inesse enim in verbis c. 4. s. 7: „*ἐπειδὴ δὲ ἐνιαυτοὶ τρεῖς ἦσαν ἐδεήθη τοῦ Κύρου ἀφεῖναι αὐτούς κτλ.*“ quorum sententiam esse putat: „quum annus tertius incepisset“. Primo enim trium istorum annorum, belli vicesimo tertio (409—408), legatos iter suum incepisse, altero (belli 24. 408—407) in Phrygia retentos, tertio ineunte (vere 407) dimissos esse. Alcibiadem anno belli 24. apud Sestum dum legati redirent oppertum esse, neque ante eorum reditum Hellesponto Athenas solvisse, inde colligit quod is duos ex legatis illis [2]), Dorotheum et Mantitheum, cum classe ad Hellespontum tuendum reliquerit [3]),

1) Die Rückkehr des Alcibiades p. 60. sq. —

2) Nomina legatorum sunt c. 3, 3. —

3) Diod. XIII, 68: „*μετὰ δὲ ταῦτα Διόδωρον καὶ Μαντίθεον ἐπιμελητὰς μετὰ τῆς ἱκανῆς δυνάμεως κατέλιπον*“. Nimirum conjectat Herbst pro

unum autem, Euryptolemum, Athenis invenerit [1]). Haec omnia vix digna quae refutarentur putarem, nisi Breitenbachium sententiam Herbstii amplexum viderem [2]). Ita haec modo moneo. Verba ἐπειδή — ἦσαν ne tum quidem sic ut Herbst voluit intelligi possent, si pro τρεῖς dictum esset δύο; Alcibiadem dum legati ad regem Persarum missi Susis reverterent, integrum annum otiose oppertum putare, absurdum est; Euryptolemum Pisianactis filium, Alcibiadis et Periclis amicum [3]), diversum esse a cognomine legato vel inde patet, quod ante Byzantii expugnationem eodem tempore alter cum Alcibiade apud Hellespontum versabatur, alter Athenis legatus missus est [4]). Denique nihil obstat quin duos Athenienses Mantitheos tum fuisse credamus, etsi nequaquam certum est Diodorum verum referre [5]).

Alcibiades igitur ineunte eadem aestate qua Cyrus in Phrygiam venit, Athenas rediit; at fortasse ab ejus reditu ad Callicratidae adventum duo anni (aut viginti duo menses) numerandi sunt? Hoc statuit Peter, qui, quum docuerit Alcibiadem Junio 408 redisse, Lysandrum vere 407 nauarchiam suscepisse, et a cap. 5, s. 1. annum 25um numerandum esse, „Haec" — inquit — „ita certa sunt ut ne verbulum quidem adjiciam" [6]). Verum fallitur vir doctissimus. Nam Lysander imperium suscepit antequam Cyrus Sardes advenit. Hunc autem a vere 408, quo eum in Phrygiam advenisse Haacke et Peter statuunt, integrum fere annum commoratum esse dum Sardes abiret, quis credat? Imo verisimillimum est jam eadem aestate qua ineunte Pharnabazus Gordio profectus est, Cyrum Sardibus fuisse; ut hinc quoque colligi possit quod supra monuimus, Lysandrum non auctumno sed ineunte aestate nauarchum factum esse. Si autem Peter annos recte computaret, Cratesippidam quem ipse existimat ante initium veris 410 ad nauarchiam pervenisse, plus quam tres annos eam obtinuisse sequeretur; quod nequaquam probabile est. Accedit quod Lysander prius ad classem pervenit quam Alcibiades Athenis profectus est; quare haec quoque res ex computatione Peteri assignanda esset aestati 407. Alcibiades ita, postquam 20. d. Boedromionis mysteria celebravit, sex septemve menses Athenis commoratus esset, priusquam Andrum navigaret; idque eo confirmari aliquis dixerit, quod Xenophon ait Alcibiadem p o s t m y s t e r i a milites delegisse et tum demum profectum esse; pro verbis autem „μετὰ τὸν κατάπλουν

Διόδωρον legendum esse Δωρόθεον, suspicans Diodorum historicum, sui nominis similitudine inductum, nomen veteris illius Atheniensis mutasse! —

1) H. Gr. I, 4, 19. —

2) Prolegg. ad Hell. p. 11. 12. 30; ad I, 1, 11. et 4, 7. —

3) Cf. I, 7, 12. 16. —

4) I, 3, 12. 13. —

5) Cf. Vischer l. l. p. 60; Herzberg, Alcibiades, 341. 344. — Nolui tamen praeterire, in loco illo I, 4, 7. verba „ἐπειδὴ δὲ ἐνιαυτοὶ τρεῖς ἦσαν" mihi suspecta videri; etenim vix credibile est Cyrum, „quia volebat Athenienses ignorare quid rerum gereretur", legatos triennium aut biennium retinuisse. Advertas etiam verba s. 5: „εἶπε — μὴ οἴκαδέ πω ἀποπέμψαι", s. 7: „πρὸς τό ἄλλο στρατόπεδον ἀπέπλευσαν", et quae 5, 8. de legatione hieme sequenti ab Atheniensibus ad Cyrum missa narrantur. —

6) Comm. crit. p. 56; Cf. ejusdem Zeittafeln d. griech. Gesch. —

τρίτῳ μηνὶ ἀνήχθη ἐπ' Ἄνδρον", quae vel ideo quia Mysteria quatuor mensibus post Plynteria celebrabantur, ferri non possint, legendum esse non *τετάρτῳ μηνὶ* ut Clinton proposuit, sed fortasse *ἑνδεκάτῳ μηνί*[1]). Sed ita 24. belli anno prorsus nulla res gesta esset, Athenienses autem a Junio 408 ad Aprilem 407 ne classem quidem in Ionia habuissent; quod prorsus incredibile est. Verum Alcibiades eodem auctumno quo ineunte Mysteria celebravit, Andrum abiit, neque premenda sunt verba scriptoris: „*μετὰ δὲ ταῦτα κατελέξατο στρατιάν*" *κτλ.*; consentaneum enim est Alcibiadem jam ante Mysteria exercitum instruere coepisse: pro verbis autem *τρίτῳ μηνὶ* scribendum videtur *πέμπτῳ μηνὶ* ut Alcibiades medio fortasse Pyanepsione (Octobri) Athenis profectus sit [2]).

At fortasse ab auctumno illo usque ad Callicratidae adventum duodeviginti menses praeterierunt? Sed ex narratione Xenophontis satis apparet, ea, quae ab auctumno illo usquedum Alcibiades imperio decederet gesta sunt[3],) multo minus quam annuum spatium explevisse, neque Alcibiadi, postquam Athenis Andrum solvit, in alterum quoque annum imperium prorogatum, sed primis comitiis strategorum quae postea facta sint, decem viros quorum nomina I, 5, 16. leguntur, creatos esse[4]). Hi igitur creati sunt ante exitum hiemis, cujus initio Alcibiades in Ioniam pervenerat. Statim postea Alcibiades exercitum deseruit, eique in imperio classis successit Cono, qui ad id tempus obsidione Andri, auctumno ab Alcibiade ei mandata, occupatus erat. Cono autem quum imperium suscepisset, usque ad Callicratidae adventum nihil aliud gessit nisi quod „*ξυμπληρώσας τριήρεις ἑβδομήκοντα ἀντὶ τῶν προτέρων, οὐσῶν πλέον ἢ ἑκατόν, καὶ ταύταις ἀναγαγόμενος μετὰ τῶν ἄλλων στρατηγῶν, ἄλλοτε ἄλλῃ ἀποβαίνων τῆς τῶν πολεμίων χώρας ἐληΐζετο*", ubi advertas imperfectum: „coepit praedari." Qua re nemo putabit duodecim vel quatuordecim mensium spatium, a. Martio 407 ad Aprilem 406 expletum esse. Callicratidas igitur anno, non biennio, postquam Pharnabazus Gordio profectus est, imperium suscepit.

(XIV.) Restat ut quaeramus utrum inter adventum Callicratidae (I, 6, 1) et alterum Lysandri adventum (II, 1, 7. 10) annus an biennium praeterierit. Si Thrasyli expeditio Ionica aestati 410, Cyri adventus veri 408, ut Haacke docet, attribuenda sunt, Callicratidas imperium suscepit vere 407, Alcibiades imperio remotus est anno archontis Euctemonis (Ol. 93, 1. 408 — 407). Hoc autem repugnat et Callistrati grammatici testimonio qui voluntarium Alcibiadis exilium ad annum Antigenis (407 — 406) retulit[5]) et loco Lysiae oratoris qui Alcibiadem quatuor vel quinque annos

---

1) Vid. H. Gr. I, 4. 21. coll. Clinton. ad ann. 407. —

2) Compendium *Π* potuit in *Γ* corrumpi. — Eleusinia durabant ad 27. d. Boedromionis. Cf. Hermann, Lehrb. d. gottesd. Alterthümer §. 55, n. 8; Plynteria quibus rediit Alcibiades (H. Gr. I, 4, 12), celebrabantur 25. d. Thargelionis. Cf. Plut. Alcib. 34; Petersen, Zeitschrift f. d. Alterthumswissenschaft 1846 p. 595 sq. —

3) H. Gr. I, 4, 21. ad 5, 17. —

4) Cf. Herbst, die Schlacht bei den Arginusen p. 86. —

5) Ap. schol. Aristoph. Ran. v. 1422: „*Περὶ τῆς δευτέρας λέγει αὐτοῦ* (sc. Alcibiadis) *ἀποχωρήσεως, ἣν ἑκὼν ἔφυγε, κατελθὼν ἐπὶ Ἀντιγένους πρὸ ἐνιαυτοῦ τῶν Βατράχων. — Ἄνδρων δὲ διαφέρεται πρὸς*

continuos imperasse dicit [1]); nam ab aestate 411 qua imperium primum ei mandatum est usque ad Martium 407 quatuor anni nondum exacti erant. Sed etiam ex ipso Xenophonte probari potest, alterum Lysandri imperium uno modo anno post adventum Callicratidae coepisse.

Quum Callicratidas apud Arginusas proelio cecidisset, reliquiae classis Laconicae, Eteonico duce, Chium confugerunt [2]). Ibi milites quamdiu aestas durabat partim agrorum fructibus vitam sustentabant, partim operis mercenariis victum parabant; quum autem hiems adesset, summa inopia rerum adducti sunt ut conjurarent et seditionem agitarent; sed haec suppressa est Eteonici fortitudine et prudentia. Tum socii Lacedaemoniorum legatione missa hos rogarunt ut Lysandro imperium redderent; et Lacedaemonii nauarchum quidem constituerunt Aracum, imperium autem Lysandro mandarunt [3]). Hinc sequitur, apud Arginusas pugnatum esse aestate quae praecedebat alterum Lysandri adventum, id est aestate 406. Quare, si Callicratidas vere 407 imperium suscepisset, inter ejus adventum et mortem plus quam duodecim menses interfuissent; sicut existimat L. Dindorf. Sed hanc sententiam falsam esse facile perspicies, si consideraveris quaenam res illo temporis spatio gesta sint. Namque Callicratidas, ubi Ephesi imperium sucepit, praeter naves quas a Lysandro acceperat, novas quinquaginta implevit nautis quos socii suppeditarunt; deinde pugnam parabat. Quum autem sentiret amicos Lysandri sibi malevolos esse et difficultates imperio suo creare, convocatis Lacedaemoniis qui in exercitu erant exposuit, se imperium suscepisse quia reipublicae mandato obedire deberet; ipsi igitur decernerent utrum maneret an Spartam reverteret, qui in exercitu rerum status esset nuntiaturus. Quum omnes respondissent magistratibus obediendum esse, ad Cyrum abiit ut militibus stipendium posceret. Ibi frustratus, Lacedaemonem triremes ad poscendam pecuniam misit, simul autem persuasit Milesiis et Chiis, ut dum Sparta pecunia veniret, ipsi interea exercitum alerent. Haec omnia initio nauarchiae facta esse apparet. [4]). Deinde Methymnam navigat et oppidum vi expugnat; tertio inde die Cononem

---

Ξενοφῶντα περὶ τῆς καθόδου. Καλλίστρατος δέ φησιν ὅτι οὗτος ἦν ὁ καιρὸς (sc. annus Antigenis) *καθ᾽ ὃν ἑκὼν ἔφυγεν ὁ Ἀλκιβιάδης· ὁ δὲ Ἀρίσταρχος φησί, καθ᾽ ὃν ἐκπεσὼν ἐν Λακεδαίμονι διατρίβων ἔπεισε Λακεδαιμονίους Ἀθηναίοις Δεκέλειαν ἐπιτειχίσαι. τελέως δὲ πταίουσι.*" Hoc postremum Aristarchum docuisse, nunquam credam. Callistratus autem certe rectius statuit quam ipse, qui eum et Aristarchum erroris arguit, scholiasta; nam Antigenis anno reditus Alcibiadis nullo modo tribui potest. Scholiastam non, ut Clinton (ad ann. 407, 2.) suspicatur, Andronem secutum esse, inde colligo, quod ubi suam sententiam proposuit, statim pergit: *Ἄνδρων δὲ διαφέρεται πρὸς Ξενοφῶντα.* Mihi potius videtur ipsum Xenophontem, sed intrusis archontum nominibus jam corruptum, secutus esse. Andro quid docuerit, non liquet; ne id quidem patet, utrum narrationem Xenophontis ipse impugnaverit, an modo ab iis quae scholiasta Xenophontem de tempore pugnae docuisse perperam putabat, dissenserit. Posterius malim credere; verbum *διαφέρεσθαι* saepius eo sensu usurpatur. —

1) Lys. or. 19. de Arist. pec. s. 52: — „*Ἀλκιβιάδης τέτταρα ἢ πέντε ἔτη ἐφεξῆς ἐστρατήγει ἐπικρατῶν καὶ νενικηκὼς Λακεδαιμονίους κτλ.*" Loco usus est Herbst, die Schlacht bei d. Arginusen, p. 86. —

2) I, 6, 33 — 38. —

3) II, 1, 1 — 7. —

4) Cf. Herbst, die Schlacht bei d. Arginusen p. 87. —

aggressus ad portum Mitylenaeorum persequitur ibique proelio devictum terra marique obsidet. Tum a Cyro pecunia affertur[1]). His rebus, quum omnia celeriter facta sint quatuor ad summum menses ab adventu Callicratidae absumptos esse consentaneum est. Quinto deinde die duae Atheniensium naves ex portu effugerunt quarum altera Athenas nuntium cladis et obsidionis affert. Athenienses triginta diebus instruunt classem centum et decem navium quas ipsi conscendunt. Navigant Samum ibique Samiorum et aliorum sociorum ope augent classem usque ad numerum navium centum quinquaginta. Callicratidas quum audisset classem Atticam Samum advenisse, obsidionem Eteonico committit, ipse ad Maleam promontorium, Mitylenis oppositum, navigat. Postridie apud Arginusas pugnatur[2]), die ad summum sexagesimo a proelio Mitylenaeo[3]). Itaque non plus quam sex menses inter adventum et mortem Callicratidae interfuerunt; neque is vere 407 sed 406 nauarchus factus est.

(XV.) Verum de tempore, quo pugna apud Arginusas commissa sit, paulo etiam accuratius videndum est. Diversa de eo exstant veterum testimonia. Diodorus pugnam evenisse refert archonte Callia (Ol. 93, 3; 406 — 404)[4]) idemque confirmat Athenaeus[5]), qui tamen in eo lapsus est quod quatuor et viginti annis a Periclis morte factam dicit; nam Pericles mortuus est auctumno 429 a Chr., pugnam autem ad annum 406, non 405, referendam esse constat[6]). Sed contra illos facit testis utroque locupletior, Hellanicus, harum rerum aequalis, qui archonte Antigene (Ol. 93, 2; 407 — 406) apud Arginusas pugnatum esse memoravit[7]).

---

1) I, 6, 12 — 18. —

2) I, 6, 19 — 29. —

3) Herbst, qui de tempore quo apud Arginusas pugnatum sit, accurate disputavit, nonnulla parum feliciter statuit. Die Schlacht b. d. Arginus. p. 87 sq. Existimat Athenienses quum 30 diebus classem instruxissent, 40 insuper dies exercendis nautis consumpsisse. Quod nequaquam verisimile est; tum enim, si unquam, periculum in mora erat; quare non dubium, quin tum quoque Athenienses ut aestate 411, quum Euboae succurrerent „ἀξυγκροτήτοις πληρώμασι“ usi sint (Cf. Thuc. VIII, 95); naves Atheniensium pejus quam Laconicas navigasse dicit Xenophon I, 6, 31. Sami classem Atheniensium non diu commoratam esse apparet ex ss. 26 — 28: „Καλλικρατίδας ἀκούων τὴν βοήθειαν ἤδη ἐν Σάμῳ οὖσαν, — ἀναχθεὶς“ κτλ. Nimirum socii quoque naves ipsi conscendere coacti sunt. Quod vero Herbst Athenienses tum demum classem parare coepisse putat quum nuntiatum esset Diomedontem, qui paucis navibus ad Cononem pervenire tentaverat, fugatum esse, (cf. p. 23), manifestus error est. Nam Diomedon non ut ille existimat ab Atheniensibus missus, sed quum jam antea circa Ioniam, Sami fortasse, stationem ageret, sua sponte Cononi auxilium ferre conatus est, s. 22. 23; „τὰ γεγενημένα“, quibus compertis Athenienses classem instruere decreverunt, non sunt ea quae Diomedonti sed quae Cononi acciderant (s. 24). —

4) XIII, 97 sq. —

5) L. V. 218. A. —

6) Mirum est quod Herbst dicit: „mit der beigefügten selbst bis auf die Zeit des Jahres genau zutreffenden Angabe: τῆς Περικλέους τελευτῆς ὕστερον ἔτεσιν εἴκοσι καὶ τέτταρσιν.“ —

7) Ap. schol. Aristoph. ad Ran. v. 694 (fragm. 80. ap. C. Müller Fr. H. Gr. I.): „τοὺς συνναυμαχήσαντας δούλους Ἑλλάνικός φησιν ἐλευθερωθῆναι καὶ ἐγγραφέντας ὡς Πλαταιεῖς συμπολιτεύσασθαι αὐτοῖς, διεξιὼν τὰ ἐπὶ Ἀντιγένους τοῦ πρὸ Καλλίου·“ cui conferendum est scholion ad v. 33: — „τῷ προτέρῳ ἔτει ἐπὶ Ἀντίνου (sic) ὅτε περὶ Ἀργίνουσαν ἐνίκων ναυμαχίᾳ οἱ Ἀθη-

Hujus auctoritas haud dubie sequenda esset, nisi obstaret Xenophontis accurata et dilucida narratio. Etenim res ab adventu Callicratidae ad pugnam gestae, quibus ad summum sex menses absumptos esse dixi, tamen ea sunt, quae non possint tribus mensibus includi; ut vel inde pateat, pugnam post solstitium aestivum, quo annus Atticus incepit [1]), aestate ad exitum vergente commissam esse. Idem vero alio quoque modo probari potest. Imperatores enim qui apud Arginusas victores fuerant, damnati sunt Athenis Pyanepsione mense (Octobri) tempore Apaturiorum [2]); iis autem quae a pugna ad condemnationem facta sunt, duo menses ad summum absumi poterant. Judicium enim tumultuarium fuit, summaque et temeritate et celeritate peractum. Qui vero narrationem Xenophontis diligenter consideraverit, facile perspiciet, omnia duodetriginta diebus perfici potuisse [3]).

At, dixerit aliquis, sufficiuntne haec ad rejiciendum Hellanici Lesbii disertum testimonium? Is enim pugnae non modo aequalis fuit sed testis paene oculatus — vivebat enim Perperenae —, et literis paulo postea, certe antequam Xenophon historiam scripsit, eam consignavit; neque enim diu superstes fuit. Hunc igitur tam turpiter errasse credamus ut in Atthide sua secundum archontes Atticos descripta rem illam ad falsum annum referret? Herbstio id tantum visum est ut scholiastam, non Hellanicum, errasse statueret. Sed fortasse ipse Hellanicus erravit quem et Strabo summae levitatis arguit [4]), et Thucydides dicit in Atthide tempora negligenter descripsisse [5]). Solebat fortasse res quae eadem aestate gestae erant, omnes ad eum archontem referre qui circa solstitium ejus aestatis magistratu abierat, et Thucydides forsitan eo quoque loco Hellanicum respexerit, ubi dicit annos non secundum magistratus sed secundum semestria naturalia describendos esse [6]). Sed haec utut sunt, testimonio Hellanici praeferenda est auctoritas non tam Xenophontis quam ipsius Thucydidis, siquidem recte statuimus, Xenophontem commentariis Thucydideis usum esse.

(XVI.) Verum superest alia difficultas. Athenienses, quum ante initium aestatis 406 nuntiata esset clades Ephesiaca, decem strategos

---

ναῖοι συμμαχούντων δούλων" *κτλ.* nam hoc quoque videtur ex Hellanico sumptum esse. —

1) Ex octaeteride quae tunc Athenis in usu publico erat, annus Calliae coepisse videtur 29. d. Jun. 406. Cf. Boeckh, Zur Geschichte der Mondcyclen bei den Hellenen. Leipzig 1855. p. 27. —

2) I, 7, 8. Prorsus fallitur Cobet qui imperatores Januario 405 quo Ranae Aristophanis comoedia acta est nondum damnatos fuisse existimat. Cf. Herbst p. 90. Quo die Pyanepsionis Apaturia celebrata sint, non constat. Cf. Hermann Lehrb. d. gott. Alt. 56, 28. —

3) Cf. Herbst l. l. p. 87. sq. —

4) L. X. p. 451. Cas.: — „*Ἑλλάνικος — πλείστην εὐχέρειαν ἐπιδεικνύμενος ἐν πάσῃ σχεδόν τι τῇ γραφῇ.*" —

5) I, 97: — „*τούτων* (sc. rerum quae inter Medicum bellum et initium Peloponnesiaci acta sunt) *ὅσπερ καὶ ἥψατο ἐν τῇ Ἀττικῇ ξυγγραφῇ, βραχέως τε καὶ τοῖς χρόνοις οὐκ ἀκριβῶς ἐπεμνήσθη.*" Incertum quando hic locus scriptus sit. Si scriptus esset ante universi belli exitum, sequeretur Hellanicum quatuor libris Atthidis, quorum quarto res temporis illius narrasse videtur (cf. fragm. 72. 78. ap. Müller.), postea adjecisse quintum vel plures iisque res belli Peloponnesiaci comprehendisse. —

6) V, 20. —

creaverunt[1]), non Calliae sed Antigenis anno, qui omnes, nisi quod Archestrato mortuo suffectus erat Lysias, tum quoque quum apud Arginusas pugnatum est, in magistratu fuerunt. His autem omnibus magistratum in alterum annum prorogatum esse, minime est credibile. Sane Boeckh[2]) eos existimat non annuos strategos sed imperatores extraordinarios fuisse; verum ordinarios fuisse rectissime contendit Seidler[3]). Nam quem ad usum praeter decem legitimos strategos qui in singulos annos creabantur, tunc totidem alios extra ordinem constitutos esse putemus, quorum nihilominus major pars sex fere menses, donec nuntius cladis Mitylenaeae Athenas perlatus sit, domi sederint? praesertim quum undecimum quoque habeamus imperatorem, certissime extra ordinem creatum, Phanosthenem Andrium, cui quum Conon Andro Samum ad suscipiendum magnae classis imperium abiret, obsidio patriae mandata est[4]). Illo igitur argumento praecipuo usi sunt Seidler et Krüger[5]) ut demonstrarent strategos Atticos non Hecatombaeone, primo mense anni civilis, sed hieme, incipiente ut dicunt anno militari, magistratum inisse. Alii existimarunt ver initium strategiae fuisse[6]). Mihi quidem probatum est strategos eodem tempore ac ceteros magistratus annuos et creatos et munus auspicatos esse. Sed uberius de ea re exponere non hujus loci est; moneo tantum quod non omnes illi satis adverterunt, tria ubique esse distinguenda: creationem strategorum, initium muneris, denique decreta populi quibus singularum expeditionum, classium, exercituum imperia singulis strategis, prout res postulabat, mandabantur. Tenendum enim est, strategos, qui pace quoque quotannis eligebantur, etiam domestica habuisse officia gravissima, qualia fere in nostris rebus publicis sunt praefectorum rei militaris et rei externae (des Kriegsministers und des Ministers der auswärtigen Angelegenheiten). Itaque qui strategus creatus est, ea re non statim factus est belli dux; et si cui imperium militare mandatum est, inde non sequitur, eum tum demum esse strategum creatum; quamquam scriptores utramque rem exprimere solent verbis *στρατηγὸν αἱρεῖσθαι* sive *στρατηγὸν χειροτονεῖσθαι*. Ita hieme vel vere a. 373 imperator constitutus est Timotheus, hieme 370 — 69 Iphicrates[7]); sed nihil obstat quominus utrumque jam praecedentis aestatis Hecatombaeone strategum creatum statuamus. Creabantur autem strategi una cum ceteris magistratibus qui suffragiis civium constituebantur, comitiis illis quae *ἀρχαιρεσίας* appellabant[8]); vel hinc igitur colligas hos omnes eodem tempore magistratum inisse[9]); neque locis Thucydidis quos Seid-

---

1) I, 5, 16. —

2) In edit. Antigonae Sophocl. p. 199. Idem jam ante docuerat Meier, der attische Prozess p. 106 adn. 9. —

3) Cf. Hall. Liter. Zeit. 1825 p. 210. sq. —

4) I, 5, 18. —

5) Historisch-philol. Studien I, p. 164. —

6) Wex ad Soph. Antig. prolegg. p. XX; C. Fr. Hermann Lehrbuch d. griech. Staatsalterth. s. 152, n. 2. —

7) H. Gr. VI, 2, 11. 13. coll. Demosth. or. 49. adv. Timoth. s. 6; H. Gr. VI, 5, 49. ad quos locos provocant Krüger et C. F. Hermann. —

8) Aesch. adv. Ctes. s. 13. —

9) Cf. Boeckh l. l. Cf. Abh. d. pr. Ak. d. Wissensch. 1824, p. 54 sq. 232 sq. —

ler contulit quidquam contra probatur. Nam et Laches, qui hieme Ol. 88, 3 imperator esse desiit[1]), et Demosthenes qui, quum aestate et auctumno 426 imperium tenuisset, proxima hieme privatus fuit[2],) ante exactum annum magistratu se abdicare coacti videntur, alter propter peculatum in Sicilia factum[3]), alter propter cladem Aetolicam[4]). Nonnulla autem exempla habemus strategorum qui aestate magistratu abierunt. Ita Pericles, quum ad aestatem 430 strategus fuisset, postea privatus erat, denique a. 429 rursus est strategus creatus[5]). Deinde ea quae de strategis annorum 412 et 411 apud Thucydidem reperiuntur, quam maxime adversantur et Seidlerianae et Wexianae sententiae. Nam primum quidem quatuor strategi qui auctumno 412 classibus in Ionia praefuerunt, etiam vere et aestate 411 plane eadem imperia iisdem locis tenuerunt[6]); deinde a vere 412 ad ver 411 duodecim strategi numerantur[7]). Denique aestate 361 Menoni stratego Timomachum successisse recte monuit Droysen[8]). Jam vero archaeresiae initium magistratuum necessario haud paucis diebus praecedebant, ut ii qui electi essent, judicium δοκιμασίας subire, utque, si hi reprobarentur, novi creari, et ipsi quoque in judicio probari possent. Ita apud Syracusanos eligebantur strategi ineunte hieme, munus auspicabantur ineunte aestate[9]). Athens vere 407 Alcibiades strategus creatus est ante exeuntem undecimum mensem, Thargelionem, quo tempore in urbem revertit[10]). Verum etiam Thargeliis, quae 6. et 7. die ejus mensis celebrabantur, archaeresias priores fuisse, colligitur ex Isaei oratione 7. de Apollodori hereditate[11]). Archaeresiae enim eae, quarum ibi mentio fit, quibus adolescentes aetatem virilem assecuti in tabulis lexiarchicis inscribebantur, non diversae sunt a comitiis magistratibus creandis[12]). Illae autem archaeresiae, ut

---

1) Thuc. III, 115. —

2) Thuc. III, 91. 94 — 98. 114; IV, 2. —

3) Aristoph. Vesp. v. 836 sq. 895. 911. 924 sq. —

4) Thuc. III, 94 — 98. —

5) Thuc. II, 59, 65. Neque enim, ut falso referunt Plutarchus v. Per. 35. et Diodorus XII, 45, magistratu ante tempus eum remotum esse, perspicitur ex ipso Thucydide et ex Aristide, de IV viris, vol. II. p. 318. ed. Dind. Cf. Krüger ad Thuc. II, 65; Grote Gesch. v. Griechenld. vol. III. p. 443. sq. ed. German. —

6) Thuc. VIII, 62. coll. 79; 41. 42. coll. 73; 48 — 51. coll. 54; 54. 55. coll. 73. —

7) Aristocrates, Hippocles, Strombichides, Thrasycles, Diomedon, Leon, Phrynichus, Onomacles, Scironides, Charminus, Euctemon, Eucrates; quibus Diitrephes fortasse addendus est. —

8) Zeitschr. f. Alterthumswissensch. 1839, p. 933. Cf. Dem. 50, 4. 12. 14. — De strategis belli Samii praeter ll. ll. Seidleri, Böckhii, Krügeri cf. Bergk de rel. com. vet. p. 55 sq. —

9) Thucyd. VI, 63 — 73. 96. —

10) H. Gr. I, 4, 10. 12. Fallitur igitur Petersen qui archaeresias ad postremos Thargelionis dies refert. Zeitschr. f. d. Alterthumswissensch. 1846. p. 595. —

11) s. 14 — 17; 27. 28. Ordinem rerum quae his locis memorantur, perperam constituit Petersen l. l., lapsus eo quod Pythia vere acta existimavit. Cf. Schoemann, Philologus, 1846, p. 713. —

12) Cf. Petersen l. l. Schoemann ad Isaeum 7, 28. et Voemel Zeitschr. f. d. Alterthumsw. 1846. p. 70. existimant archaeresias illas fuisse conventus demotarum demarchis creandis, qui a Demosthene (Or. 44. adv.

ex Aeschine colligo, fiebant paulo ante Dionysia urbana, ineunte nono mense Elaphebolione (Martio)[1]; eoque ipso tempore, altero vel tertio die Elaphebolionis Ol. 88, 4, circa interlunium naturale, quo sol defecit 21. d. Martii 424, Cleon videtur strategus creatus esse[2]).

Quae quum ita sint, ordo strategorum quos annis Antigenis, Calliae, Alexiae archontum (Ol. 93, 2—4; 407—404 a. Chr.) fuisse reperimus, in hunc fere modum restituendus est. Archaeresiis a. 407 populus in annum Antigenis decem strategos creavit simulque decrevit ut tres ex iis, Alcibiades, Thrasybulus, Conon imperium classis exercerent. Sed quum Alcibiades ineunte Junio revertisset, decretum illud eatenus mutatum est, ut huic summum imperium universi belli mandaretur et ad expeditionem Ionicam adderentur collegae quos ipse sibi expetebat, Aristocrates et Adimantus, duces copiarum pedestrium, quos inter decem legitimos strategos fuisse verisimile est; praeterea autem Thrasybulus quoque et Conon copiis navalibus praefuerunt[3]). Anthesterione Antigenis (Februario 406) cladis Ephesiacae nuntius Athenas perlatus est. Paulo postea archaeresiae factae sunt, quibus neque Alcibiadis neque amicorum ejus, Thrasybuli Adimantique, popuus rationem habuit, sed creavit in annum Calliae Cononem, Diomedontem, Leontem, Periclem, Erasinidem, Aristocratem, Archestratum, Protomachum, Thrasylum, Aristogenem circa 5. d. Martii 406. Qua re comperta Alcibiades, quum milites quoque sibi infensos sentiret, deposuit imperium abiitque in Thraciam; Athenienses autem imperium classis detulerunt ad Cononem[4]), quem inter stra-

---

Leochar. s. 36.) *ἀρχόντων ἀγοραὶ* vocantur. Sed *ἀρχόντων ἀγορὰν* et *ἀρχαιρεσίας* prorsus diversas fuisse ex ipsa illa Demosthenis oratione, imprimis ss. 8. et 35 — 40. probari potest. —

1) Adv. Ctes. s. 145. coll. Plat. Menex. p. 249 St; Lycurg. s. 76; Harpocr. v. *Περίπολοι*. Cf. Voemel l. l. — Aeliani locus Var. Hist. III, 8, quem Wex contulit, levissimi momenti est. —

2) Hoc effici potest ex Aristophanis Nubibus v. 581 q: „*εἶτα τὸν θεοῖσιν ἐχθρὸν*“ *κτλ.* Verba „*ὁ δ᾽ ἥλιος τὴν θρυαλλίδ᾽ εἰς ἑαυτὸν εὐθέως ξυνελκύσας οὐ φανεῖν ἔφασκεν ὑμῖν εἰ στρατηγήσει Κλέων*“ cum scholiasta referenda sunt ad defectum solis. Verba *ἡ σελήνη δ᾽ ἐξέλειπε τὰς ὁδοὺς* significant, lunam, quae secundum rationem civilem vesperi in conspectu esse deberet, revera non apparuisse, quia interlunium erat (De vitio cycli quo Athenienses tum utebantur vid. Boeckh zur Gesch. der Mondclen). Tertium portentum erant fulgura et tonitrua. Neque Ullrich (Beiträge p. 115) locum recte interpretatus est, neque Leutsch (Philologus, 1846, p. 480 sq.), qui ex Equitibus Aristophanis colligit Cleonem Posideone Ol. 88, 4, (Dec. 425) mense antequam ea fabula acta est, strategum creatum esse statimque magistratum iniisse et ad hanc electionem etiam Nubium versus refert. Sed non animadvertit Cleonem strategia illa, quam versus laudati respiciunt, nondum perfunctum fuisse quum Nubes fabula ageretur (cf. v. 587 sq); est autem acta Elaphebolione Ol. 89, 1. (April 423). Ita concidit argumentatio Leutschii; quo tempore Equites fabula acta est, Cleon erat quidem orator potentissimus, et expugnata Sphacteria ad summam gratiam provectus, nec tamen erat strategus ordinarius. Ex Nubibus enim apparet, primam ejus strategiam ordinariam eam fuisse, quam versus illi respiciunt. Quare, quum verisimillimum sit, Cleonem primis statim post illud facinus archaeresiis strategiam obtinuisse (cf. Ullrich l. l.), hoc certe sequitur, eum aestate 424. magistratum illum inisse. Sphacteria enim capta est aestate 425. —

3) H. Gr. I, 4, 10. 20. 21; 5, 11. 18. —

4) H. Gr. I, 5, 12—20. —

tegos anni Antigenis fuisse vidimus. Etenim decem illos viros quos Athenienses post Ephesiacam cladem, ut Xenophon ait, „στρατηγοὺς εἵλοντο", non imperatores tum constitutos sed strategos in annum sequentem designatos esse, ex narratione scriptoris apparet. Nam praeter Cononem et Aristocratem, qui jam tum et strategi et imperatores erant, nullum ex iis ante mediam aestatem 406 imperio functum reperimus, quinque autem eorum Septembri demum ex urbe in Ioniam profecti sunt [1]). Sane Xenophontis interpretes et historici recentiores fere omnes docent Alcibiadi vere illo magistratum ante exactum tempus abrogatum esse [2]). Sed falluntur, etsi provocaverint ad Nepotis, Plutarchi, Lysiae oratoris testimonia. Nam Lysias eo loco quo rem tetigit, nec fidem historicam petit, neque accurate loquitur neque iis verbis utitur quae cum nostra sententia conciliari omnino nequeant [3]). Nepotis [4]) auctoritatem levissimam esse nemo ignorat; nec multo plus Plutarcho tribuendum, qui hic quoque ut saepius verba auctoris quem secutus est, non satis pensitasse videtur [5]); est autem Xenophontem secutus. Itaque res ad unum Xenophontem redit, quem solus praeter Handium Seidler l. l. recte interpretatus est, lapsus tantum in

---

1) H. Gr. I, 6, 16. 22. 29—31. —

2) Nomino prae ceteris Schneiderum, Breitenbachium, Haackium, Peterum, Herbstium, Vischerum (qui miratur quod F. Hand ita de re locutus sit: „*Er musste sich und Thrasybul der Feldherrnwürde entsetzt glauben, als man* 10 *Männer zu Anführern des Heeres ernannte.*" Hall. Encyclop. III, p. 143), Herzbergum, denique virum alioquin sagacissimum et circumspectissimum, G. Grotium. —

3) Lys. or. 21. pro anonymo defens. ambit. s. 7: „— ἐπειδὴ δὲ ἐκείνους μὲν (supra de solo Alcibiade imperatore mentionem fecerat) ὑμεῖς ἐπαύσατε τῆς ἀρχῆς, τοὺς δὲ μετὰ Θρασύλου δέκα εἵλεσθε, οὗτοι πάντες ἐβούλοντο ἐπὶ τῆς ἐμῆς νεὼς πλεῖν, ἀνέβη μέντοι, πολλῶν λοιδοριῶν αὐτοῖς γενομένων, Ἀρχέστρατος ὁ Φρεάῤῥιος. ἀποθανόντος δὲ τούτου ἐν Μιτυλήνῃ, Ἐρασινίδης μετ' ἐμοῦ συνέπλει." Oratorem parum accurate loqui vel hinc apparet, quod indicat Alcibiadi et collegis imperium ademtum esse (quod non posse verum esse mox videbimus), et quod dicit omnes illos decem navem suam conscendere voluisse; eorum enim major pars non ante Septembrem urbem reliquit, tum autem Archestratus, quem illa vectum dicit, jam mortuus erat. —

4) Nep. Alcib. 7: „— Quibus rebus factum est ut absenti magistratum abrogarent et alium in ejus locum substituerent." — Justinus quoque (V, 5): „ut ex continenti Alcibiadem ducem Conone mutarent." —

5) Plut. Lys. 5. quo loco Xenophontem ante oculos habuit; „— Ἐπὶ τούτῳ τὸν Ἀλκιβιάδην ὁ μὲν ἐν ἄστει δῆμος ὀργισθεὶς ἀπεχειροτόνησεν· ὑπὸ δὲ τῶν ἐν Σάμῳ στρατιωτῶν ἀτιμαζόμενος καὶ κακῶς ἀκούων (cf. Xen. H. Gr. I, 5, 17) ἀπέπλευσεν εἰς Χεῤῥόνησον ἐκ τοῦ στρατοπέδου." In vita Alcib. ubi alios quoque auctores, Theopompum ut opinor, inspexit, loquitur et cautius et rectius, c. 36: „Οἱ δ' Ἀθηναῖοι πεισθέντες (sc. criminatione Thrasybuli, Thrasonis filii) ἑτέρους εἵλοντο στρατηγοὺς, ἐνδεικνύμενοι τὴν πρὸς ἐκεῖνον ὀργὴν καὶ κακόνοιαν. Ἃ δὴ πυνθανόμενος καὶ δεδοικὼς, ἀπῆλθεν ἐκ τοῦ στρατοπέδου παντάπασιν", quibus verbis optime expressit veram causam quae Alcibiadem ut exercitum desereret permovit. — Diodorus nihil dicit de abrogato magistratu, etsi rem non prorsus recte, et negligenter ut assolet, retulit. XIII, 74: „ταχὺ δὲ τοῦ πλήθους πιστεύοντος ταῖς διαβολαῖς (sc. legatorum quos Cumaei Athenas miserant) ἡ μὲν πρὸς Ἀλκιβιάδην ἐθραύετο δόξα διὰ τὸ περὶ τὴν ναυμαχίαν ἐλάσσωμα καὶ τὰ περὶ τὴν Κύμην ἡμαρτημένα, ὁ δὲ τῶν Ἀθηναίων δῆμος ὑφορώμενος τὴν τοῦ ἀνδρὸς τόλμαν δέκα στρατηγοὺς εἵλετο (sequuntur nomina). ἐκ δὲ τούτων προκρίνας

his, quod ullum veterum abrogati magistratus auctorem esse negavit, et quod putavit Alcibiadi, quum imperium deponeret, annum exactum fuisse, illosque decem, quum strategi crearentur, statim inisse magistratum. Xenophontis verba haec sunt: „οἱ δὲ ἐν οἴκῳ Ἀθηναῖοι, ἐπειδὴ ἠγγέλθη ἡ ναυμαχία, χαλεπῶς εἶχον τῷ Ἀλκιβιάδῃ, οἰόμενοι δι' ἀμέλειάν τε καὶ ἀκράτειαν ἀπολωλεκέναι τὰς ναῦς, καὶ στρατηγοὺς εἵλοντο ἄλλους δέκα (sequuntur nomina). Ἀλκιβιάδης μὲν οὖν πονήρως καὶ ἐν τῇ στρατιᾷ φερόμενος, λαβὼν τριήρη μίαν ἀπέπλευσεν εἰς Χεῤῥόνησον εἰς τὰ ἑαυτοῦ τείχη. μετὰ δὲ ταῦτα Κόνων ἐκ τῆς Ἄνδρου ξὺν αἷς εἶχε ναυσὶν ψηφισαμένων Ἀθηναίων εἰς Σάμον ἔπλευσεν ἐπὶ τὸ ναυτικόν. ἀντὶ δὲ Κόνωνος εἰς Ἄνδρον ἔπεμψαν Φανοσθένην κτλ.“ Si populus Alcibiadi magistratum abrogasset, neque omittendum id fuisset, et ea una causa plane suffecisset ut Alcibiades imperio abiret. At Xenophon etiam alteram, cur ille hoc fecerit, addit: militum animos ab eo alienatos. Deinde Athenienses iis modo magistratum abrogare solebant, adversus quos accusator aliquis (in comitis ἐπιχειροτονίας) actionem, quae προβολὴ dicebatur, instituerat; quo facto accusatis in judicio heli astico causa dicenda erat [1]). Quod judicium si Alcibiades voluntario exilio effugere voluisset, de absente judicatum esset; quod certe non factum videtur. Sed etiamsi putares eum propter crimina Cymaeorum et Thrasybuli Thrasonis filii, ἀποχειροτονίᾳ magistrate remotum esse, uni certe unus modo strategus sufficiendus erat. Universos autem ejus anni strategos (non modo copiarum, quae foris erant, duces) unius delicto ita ex populi gratia excidisse ut ἀποχειροτονίᾳ omnes mulctarentur, quis credat? Atque Conon et Aristocrates qui anno Calliae strategi erant, ipsis illis comitiis denuo creati sunt. Quod ut fieret nimirum, eos magistratu exutos, et deinde sibi ipsos suffectos esse credamus?! Manifestum igitur est, Alcibiadi electione illorum decem virorum magistratum non ante exactum tempus abrogatum esse. Usque ad exitum anni Antigenis imperium obtinere non modo p o t e r a t, verum etiam d e b e b a t; tum ei Athenas redeundum et judicium euthynarum subeundum erat. Etenim non antea quam exercitum deseruisset, de successore Conone ei mittendo populus deliberavit. Sed non mirandum est eum statim imperio abisse. Nam ea tum erat Alcibiadis conditio ut, nisi princeps civium esset, vix civi esse ei liceret, nec nisi summa populi gratia tutus in republica vivere posset. Aut imperandum ei erat aut exulandum. Quare quum in summo honore petendo repulsam tulisset, privatum vero anno suo exacto fieri, nec tutum, nec fortasse suo nomine dignum putaret, fecit, quod eum facturum esse adversarii fortasse ex-

---

Κόνωνα ταχέως ἐξέπεμψε πρὸ Ἀλκιβιάδου τὸ ναυτικὸν παραληψόμενον. Ἀλκιβιάδης δὲ τῆς ἀρχῆς ἐκχωρήσας τῷ Κόνωνι καὶ τὰς δυνάμεις παραδοὺς (haec falsa sunt) τὴν μὲν εἰς Ἀθήνας ἐπάνοδον ἀπέγνω, μετὰ δὲ τριήρους μιᾶς εἰς Πακτύην τῆς Θρᾴκης ἀπεχώρησε.“ Non dubium quin Diodorus Ephorum Cymaeum secutus sit. Cf. Grote G. v. Gr. IV, p. 426. ed. Germ. —

1) Cf. Harpocr. s. v. Κυρία ἐκκλησία. Phot. Lex. p. 144. 190; Poll. VIII, 87; Bekker Anecd. p. 268; Tittmann Darst. d. griech. Staatsverf. p. 330; Platner, Process. vol. I, p. 331; Schoemann. de comitt. p. 229 sq. Griech. Alterthümer, I, p. 394. —

pectabant: recepit se in castella illa quae jam antea, ut, si tale quid sibi accideret, refugium haberet, exstruxerat. Ita facile perspicitur, cur Lysias sic ut vidimus de re ea loqui potuerit, et qua ratione Plutarchus et Nepos in errorem inducti sint.

Conon quum medio fere Elaphebolione circa 18. d. Martii ad exercitum pervenisset, partitus est imperium cum iis ex annuis strategis qui jam antea classi praeerant [1]), Thrasybulo et aliis quos ignoramus; Aristocrates autem et Adimantus, duces pedestrium copiarum [2]), cum hoplitis et equitibus domum revertisse videntur. Aprili (sive Munychione Attico) Callicratidas imperium suscepit. Junii d. 29. novus annus Calliae archontis incepit. Tum Adimantus et Thrasybulus privati sunt facti, et illi decem viri magistratum inierunt. Quatuor ex iis statim ad classem abierunt et cum Conone imperium partiti sunt, Leon, Diomedon, Erasinides, Archestratus. Sed Archestratus paulo postea mortuus est Mitylenis, ubi classis stationem agebat [3]); Diomedon paucis navibus Sami (ut videtur) versabatur; reliqui tres circa exeuntem Hecatombaeonem (Julium) in portu Mitylenaeo a Callicratida devicti et inclusi sunt. Quinto die duae naves ut nuntium cladis Athenas perferrent, effugerunt ex portu; harum altera qua Leon vectus videtur [4]), ab hostibus capta est; altera Erasinides Athenas perfugit [5]). Interea Diomedon Samo Mitylenas navigavit, Cononi incluso auxilium laturus, sed victus et duabus navibus aut Athenas aut Samum refugere coactus est. Tum, circa 20. d. Boedromionis (15. d. Septembr.), magna classis Atheniensium advenit et victoriam apud Arginusas reportavit. Praefuerunt ei Diomedon, Erasinides, Thrasylus, Pericles, Aristocrates, Protomachus, Aristogenes, denique Lysias qui in locum Archestrati mortui strategus suffectus erat. Sed hi omnes *ἀποχειροτονίᾳ* magistratu remoti et circa Apaturia, quae nihil impedit ad 20. fere diem Pyanepsionis (15. Oct.) referre, capitis damnati sunt. In lo-

---

1) H. Gr. I, 5, 20: „— *ἀναγαγόμενος μετὰ τῶν ἄλλων στρατηγῶν*“ quod nequaquam de illis decem viris intelligendum est. —

2) Cf. I, 4, 21: „— *Ἀριστοκράτης καὶ Ἀδείμαντος — οἱ ᾑρημένοι κατὰ γῆν στρατηγοί.*“ —

3) Cf. Lys. l. l. Perperam plerique existimant Archestratum in proelio Mitylenaeo cecidisse (Cf. exempli causa Herbst, die Schl. b. d. Argin. p. 17): huic enim tres modo imperatores interfuerunt: Conon, Leon, Erasinides (H. Gr. I, 6, 16; cf. scholiast. in Aristid. p. 243. Dind.). —

4) Ita recte existimat Herbst l. l. Nisi Leon ab hostibus captus fuisset, Xenophon l. l, c. 7, s. l. non potuisset dicere: „*Οἱ δ' ἐν οἴκῳ τούτους μὲν τοὺς στρατηγοὺς ἔπαυσαν πλὴν Κόνωνος.*“ Nam sceleris ejus cujus ceteri accusabantur, Leon certe insons erat. —

5) Ex narratione Xenophontis necessario colligitur, Erasinidem ea navi Athenas pervenisse: hanc vero eandem fuisse, cujus trierarchus apud Lysiam loquitur (l. l.), ex hujus verbis perperam colligunt Brückner (Zeitschr. f. d. Alterthswiss. 1839. p. 399), et Herbst l. l., qui ita dicit: „*passend, meine ich, hätte Lysias auch dies glückliche Entkommen des Schiffes zu einem Beweise von der Vortrefflichkeit des Schiffes benutzen können.*“ Imo poterat praedicare trierarchus rempublicam a se servatam esse! Quare, quum orator ejus rei mentionem facere omiserit, apparet Brücknerum et Herbstium illud falso statuere, Archestratum autem nonnullis diebus ante proelium Mitylenaeum mortuum esse; nisi forte mentitus est Lysias. —

cum eorum et Leontis captivi novos strategos novem suffectos esse consentaneum est; sed horum duos modo memoravit Xenophon; Philoclem et Adimantum qui Cononi collegae imperii maritimi adjuncti sunt [1]). Iidem etiam proximo anno, archontis Alexiae (405—404), et strategi rursus fuerunt et imperium classis obtinuerunt; collegas tamen et magistratus et imperii eo anno habuerunt Menandrum, Tydeum, Cephisodotum [2]). Ea enim quae ab altero Lysandri adventu ad deditionem Athenarum gesta sunt, ad 27. belli annum omnia referenda esse, Lysandrum vere 405 imperium suscepisse, auctumno 405 apud Aegospotamos vicisse, vere 404 Athenas cepisse, e Xenophonte certissime apparet, et, postquam Clinton confusas computationes Corsini et Dodwelli refutavit, omnibus probatum est; itaque nihil opus est rem probatam denuo probare.

(XVII.) Jam satis demonstrasse mihi videor, inter ver illud quo Pharnabazus Gordio profectus est, et finem belli tres modo annos interfuisse, Cyrique adventum et Alcibiadis reditum ad ver 407, non 408, referendum esse. Atqui ea, quae capite tertio libri I memorantur: proelium Chalcedonium, inducias cum Pharnabazo et Chalcedoniis pactas, legatorum in Hellespontum adventum et itineris initium, receptionem Byzantii, omnia unum modo belli annum, vicesimum quartum (408—407), explevisse, narratione scriptoris et connexu rerum plane perspicuum fit. Nec minus certe ea, quae continentur capite altero, Thrasyli expeditio Ionica, et quae deinde circa Hellespontum auctumno et hieme gesta [3]) sunt, ad unum annum belli, vicesimum tertium (a vere 409—408), sunt referenda [3]). Itaque annorum numeri qui I, 3, 1; I, 6, 1; II, 1, 7. leguntur, omnes sunt et falsi et spurii habendi; Thrasylus autem in Ioniam profectus est ineunte aestate 409, anno archontis Glaucippi (Ol. 92, 3.) ad exitum vergente. Et hoc quidem non modo e Xenophonte colligitur: extat ejusdem rei disertum, nec spernendum, testimonium, quo nullus eorum, qui quaestionem nostram attigerunt, usus est, apud Dionysium Halicarnassensem de Lys. 5. p. 497 R. [4]). Is enim ad Lysiae orationem adversus Diogitonem ita praefatur: „*Διόδοτος, εἷς τῶν μετὰ Θρασύλλου καταλεγέντων ἐν τῷ Πελοποννησιακῷ πολέμῳ, μέλλων ἐκπλεῖν εἰς τὴν Ἀσίαν, ἐπὶ Γλαυκίππου ἄρχοντος ἔχων νήπια παιδία, διαθήκας ἐποιήσατο.*“ Neque enim est dubium, quin hoc de eadem Thrasyli expeditione intelligendum sit, quam Xenophon l. I c. 2. memoravit; etenim ipse orator ita loquitur: „*καταλεγεὶς Διόδοτος μετὰ Θρασύλου τοῦ ἐπὶ τῶν ὁπλιτῶν, καλέσας — τὸν — κηδεστὴν* (Diogitonem) — *διαθήκας αὐτῷ δίδωσι*“ *κτλ.* et paulo infra: „*ταῦτα δὲ πράξας — ᾤχετο στρατευσόμενος μετὰ Θρασύλου· ἀποθανόντος δὲ ἐκείνου ἐν Ἐφέσῳ Διογείτων τὴν μὲν θυγατέρα ἔκρυπτε τὸν θάνατον τοῦ ἀνδρὸς*“ *κτλ.* [5]) Jam quum de anno expeditionis constet, etiam quo anni tempore incepta sit, accuratius definiri potest ex marmore Choiseuliano, ubi inter expensas anno Glaucippi a quaestoribus Minervae

---

1) I, 7, 1. —
2) II, 1, 17. 26. 28. 30.
3) Cf. imprimis ss. 1. 2. 4. 7. 14. 15. 17. —
4) Exhibet locum Sauppe in edit. Orat. Att. Lys. or. 32. adv. Diogit. argum. —
5) s. 5. 7. —

factas hae leguntur [1]): Ἐπὶ τῆς Ἐρεχθηΐδος ἐνάτης πρυτανευούσης — ἕκτῃ καὶ τριακοστῇ τῆς πρυτανείας τὰ ἐκ Σάμου ἀνωμολογήσατο........ μαχος Φλυεὺς στρατηγοῖς ἐν Σάμῳ, Δεξικράτει Αἰγιλιεῖ (21 tal. et 1000 drachmas). Πασιφῶντι Φρεαῤῥίῳ (6 tal.). Ἀριστοκράτει........ (5 tal.). Ε........ Εὐωνυμεῖ (5 talenta et 3896 drachmas). Νικηράτῳ Κυδαντίδῃ τριηράρχῳ (3000 dr.) Ἀριστοφάνει Ἀνα....... τριηράρχῳ....... Haec at expeditionem Ionicam referenda esse jam antea intellexerant, qui inscriptionem ediderunt, et Barthélémy et Boeckh, priusquam is, computationem Haackianam amplexus, sententiam mutavit [2]); idemque docuerat quomodo factum esset, ut ipsius Thrasyli nomen in inscriptione omitteretur. Ei enim, quia princeps collegii, στρατηγὸς ἐπὶ τῶν ὁπλιτῶν, erat [3]), et expeditionis summum imperium habebat [4]), non numerata est pecunia. Jam vero 36. dies nonae prytaniae convenit cum 24. fere die Thargelionis, sive 26. d. Maji Juliani 409 [5]). Eo igitur die Thrasylus Sami erat; quocum bene concinit quod Xenophon refert eum, nonnullis diebus postquam Samo solvisset, ἀκμάζοντος τοῦ σίτου Lydiam invasisse. Etenim tempus, quo frumentum ἀκμάζειν dicitur, complectitur Maji posteriorem partem et totum fere Junium [6]).

Ex marmore Choiseuliano nova argumenta contra Haackianam computationem repeti possunt. Secundum hanc enim ad aestatem 409, qua expensae illae factae sunt, referenda essent ea, quae capite 3. memorantur: obsidio Chalcedonis et victoria ibi de Peloponnesiis et Pharnabazo reportata. Tum autem Atheniensium copiae et strategi, quot foris erant, fere omnes videntur circa Bosporum et Hellespontum fuisse [7]); nec verisimile est, eodem tempore quatuor strategos cum exercitu tanto, quantum fuisse necesse est in quem uno die quadraginta fere talenta impensa sunt, Sami versatos esse. Alterum est quod ita anno Glaucippi undecim strategi foris fuissent [8]); at decem modo quotannis creabantur, et horum

---

1) Böckh., Staatsh. II, p. 177 sq. ed. prior. —

2) Corp. inscr. I, ad inscr. 177. —

3) Cf. Lys. l. l. —

4) Cf. Xenoph. —

5) Boeckh. Staatsh. II, p. 181. Cf. Zur Gesch. d. Mondcyclen p. 27. —

6) Voemel progr. vern. a. 1846. Cf. dissert. meam de tempore quo b. P. init. cep. p. 32. Quum Thrasylus tres modo dies Sami commoratus sit, apparet eum circa 16. vel. 18 d. Maji Athenis solvisse. Id autem Xenophon ἀρχομένου τοῦ θέρους factum dicit; unde colligas Athenienses tum communi loquendi consuetudine initium aestatis non valde diversum habuisse ab initio ἀκμῆς frumenti. Aestatis autem ἀκμὴ conveniebat fere cum posteriore parte ejus temporis qua σῖτος ἀκμάζει. Ita anno 431 Peloponnesii Atticam invaserunt τοῦ θέρους καὶ τοῦ σίτου ἀκμάζοντος (Thuc. II, 19.) quod circa 25. d. Junii Juliani factum esse, demonstravi l. d. Cf. etiam Boeckh. Zur Gesch. d. Mondc. p. 76—78. —

7) Cf. imprimis c. 3, s. 8. —

8) Euclides (qui sexta prytania apud Eretriam erat. Cf. marm. Chois. ap. Boeckh l. l. p. 171), Dexicrates, Pasiphon, Aristocrates, E....... Euonymensis (Eumachus fortasse, cf. H. Gr. I, 1, 22), Alcibiades, Thrasylus (I. 3, 5), Theramenes, Thrasybulus (hi enim interfuerunt omnibus rebus quas Alcibiades usque ad reditum gessit. Nep. Thras. 1; Alcib. 6, 3; Diod. XIII, 64. Cf. Xen. H. Gr. I, 1, 21. 22; 4, 8—10), Menander (H. Gr. I, 2, 16.), Anytus (Diod. XIII, 64. coll. Plut. Coriol. 14; Aristot. ap. Harp. v. Δεκάζων; Xen. H. Gr. I, 2, 18). —

quoque unus ad minimum videtur domi mansisse, ut custodiam terrae Atticae agitaret, atque urbem contra praesidium Deceleae tueretur[1]). Denique ex Haackii computatione Pylus hieme Glaucippi[2]) obsidione capta esset. At ex marmore Choiseuliano discimus tertia Glaucippi prytania Hermoni praefecto Pyli pecuniam numeratam esse[3]): tum igitur Atheniensibus aditus ad oppidum nondum interclusus erat (Octobri 406); nec verisimile est, jam paucis mensibus postea oppidum fame[4]) ad deditionem coactum esse. Accedit quod vix intelligi potest, unde Lacedaemonii jam hieme 410—409, sex mensibus post cladem Cyzicenam, et vires et audaciam ad Pylum terra marique obsidendam hauserint.

(XVIII). Priusquam disquisitionis finem faciamus, videndum est utrum ea quae Xenophon (sive, ut Sievers, Brückner, Breitenbach volunt, interpolator quidam) de rebus Siculis prodidit, cum computatione nostra et cum vera temporum ratione conciliari possint? Illa fere omnia auctoritati Diodori repugnare plerique viri docti observarunt; quare, quum Diodori auctoritatem in historia Siciliae eam putarent cui fidem denegare non liceret, rejecerunt ea quae apud Xenophontem leguntur. Verum mihi videntur Diodoro plus quam par est tribuisse. Haud nego in illis quae Diodorus de Poenorum expeditionibus et de Dionysii tyrannide refert, paulo majorem cerni diligentiam, quam in rebus Graeciae narrandis probavit. Nam et uberius illa descripsit et saepius dicit non modo quo anno sed etiam quo anni tempore singula gesta sint, et pleraque, nec tamen omnia, ita narrat ut inter se bene convenire recteque connexa esse videantur[6]). Expectandum certe erat, scriptorem res patriae suae non prorsus eadem negligentia et inscitia, quam alioquin prodidit, memoraturum esse. Quod autem plerique monent, eum in historia Siciliae auctores meliores et accuratiore chronologia usos, Philistum et Timaeum, vel sequi potuisse vel revera ante oculos habuisse, id non ita magni momenti est. Nam etiam in historia belli Peloponnesiaci de Thucydide et Xenophonte ita mentionem fecit, ut eum hos scriptores comparasse putares; sed nihilominus fere in omnibus solo Ephoro et ne hoc quidem satis diligenter usus est, et praesertim in temporum descriptione tot et tantos errores commisit ut eorum quae in Graecia gesta sunt, plura fere ad falsos quam ad veros annos retulerit[7]). Atque in historia belli decennis de rebus Siculis non magis accurate egit quam de ceteris; nam ea quae Athenienses ab anno 427 ad ann. 424 ibi gesserunt, Diodorus omnia tamquam uno anno (Ol. 88. 2.) gesta narravit. Eo magis crediderim, eum etiam in expeditionibus Hannibalis et Himilconis rebusque Hermocratis et Dionysii narrandis Ephoro potissimum auctore usum esse, etsi Timaeum et fortasse etiam Philistum interdum comparaverit; quanta autem levitate ibi quoque nonnulla inter

---

1) Tum modo quum expeditiones omnibus copiis fiebant, ut 406, omnes decem strategi urbem relinquebant. —

2) H. Gr. I, 2, 18. —

3) Boeckh l. l. p. 168. 169. —

4) Diod. XIII, 64. —

5) Cf. Haacke l. l. p. 12; Sievers p. 91; Breitenbach. praef. ad Xen. H. Gr. p. 29. —

6) Cf. Grote, G. v. Gr. vol. V, p. 664. ed. Germ. —

7) Cf. Sievers p. 107 sq. —

se repugnantia contulerit, luculento exemplo ostendit Wachsmuth[1]). Contra nulla est causa cur locos Xenophontis, quibus brevissime, verum tamen accurate, excidium Selinuntis, Himerae, Agrigenti, Gelae, Camarinae initiumque tyrannidis Dionysii memoratur, omnes suspectos habeamus. De magnitudine copiarum quas Poeni in Siciliam adduxerint discreparunt Timaeus et Ephorus[2]): hic, qua erat levitate, supra verum auxerat numeros, quos ille modestius aestimavit. Xenophon vero cum Timaeo consentit, neque adversabor si quis existimaverit, Timaeum ejus testimonio usum esse. Tempora quoque apud Xenophontem accuratius definiuntur, quam interpolatorem facturum fuisse verisimile est. Is nec Selinuntem Himeramque dixisset t r i b u s m e n s i b u s captas esse[3]), neque Agrigenti obsidionem septem menses durasse[4]), (ubi vel hoc fidem facit quod uno mense differt a Diodoro[5]) et, quem ille secutus videtur, Ephoro), nec Dionysium m e d i a a n n i p a r t e tyrannidem occupasse[6]), nec Gelam Camarinamque e o d e m t e m p o r e quo Lycophron Thessalos vicerit, expugnatas esse, nec, si omnino mentionem fecisset defectionis Leontinorum et exilii equitum, illud *μετ᾽ ὀλίγον*, hoc *παραχρῆμα* factum esse addidisset[7]). Denique non conspicuum est qua causa interpolator aliquis, ut istos locos Xenophonti obtruderet induci potuerit; fuisset certe diversus et ab eo qui nomina ephororum archontumque et Olympiades interposuit, et ab eo qui numeros belli annorum addidit; nam nec cum illis annorum notis nec cum numeris ea quae de Sicilia referuntur, concinunt. Itaque ego hanc rationem sequar, ut ea quae apud Xenophontem de rebus Siculis prodita sunt, et genuina et vera habeam, donec singula et spuria et falsa esse certis argumentis probetur, Diodoro autem potius quam Xenophonti fidem denegem, nisi ea quae ille statuit externis quoque documentis confirmentur. Sunt autem, praeter quatuor illos quos in margine adscripsi, tres alii loci respiciendi, quibus res quaedam Siculae, arctius illae cum narratione belli Graeci contextae, referuntur: l. I, 2, **8. 10. 12.** ubi copiarum et imperatorum quos Siceliotae in Graeciam miserant mentio fit; I, **1, 27.** et I, **3, 13,** ubi scriptor exilium Hermocratis tetigit. Hi omnes igitur repugnant Diodoro. Nam primum quidem Selinus et Himera secundum Xenophontem captae sunt anno belli

---

1) Hellen. Alerthumskunde I, p. 741. —

2) Diod. XIII, 54. 80. —

3) H. Gr. I, 1, 37: „*καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν, ἐν ᾧ Καρχηδόνιοι Ἀννίβα ἡγουμένου στρατεύσαντες ἐπὶ Σικελίαν δέκα μυριάσι στρατιᾶς αἱροῦσιν ἐν τρισὶ μησὶ δύο πόλεις Ἑλληνίδας, Σελινοῦντα καὶ Ἱμέραν.*“ —

4) I, 5, 21· „*καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν ἐν ᾧ Καρχηδόνιοι εἰς Σικελίαν στρατεύσαντες εἴκοσι καὶ ἑκατὸν τριήρεσι καὶ πεζῆς στρατιᾶς δώδεκα μυριάσιν εἷλον Ἀκράγαντα λιμῷ, μάχῃ μὲν ἡττηθέντες, προσκαθεζόμενοι δὲ ἑπτὰ μῆνας.*“ —

5) Diod. XIII, 91 (*ὀκτὼ μῆνας*). —

6) II, 2, 24: „*καὶ ὁ ἐνιαυτὸς ἔληγεν, ἐν ᾧ μεσοῦντι Διονύσιος ὁ Ἑρμοκράτους Συρακόσιος ἐτυράννησε, μηχὰ μὲν πρότερον ἡττηθέντων ὑπὸ Συρακοσίων Καρχηδονίων, σπάνει δὲ σίτου ἑλόντων Ἀκράγαντα, ἐκλιπόντων τῶν Σικελιωτῶν τὴν πόλιν.*“ —

7) II, 3, 5: „*Ἐν δὲ τῷ αὐτῷ χρόνῳ καὶ Διονύσιος ὁ Συρακόσιος τύραννος μάχῃ ἡττηθεὶς ὑπὸ Καρχηδονίων Γέλαν καὶ Καμάριναν ἀπώλεσε. μετ᾽ ὀλίγον δὲ καὶ Λεοντῖνοι Συρακοσίοις ξυνοικοῦντες ἀπέστησαν εἰς τὴν αὑτῶν πόλιν ἀπὸ Διονυσίου καὶ Συρακοσίων, παραχρῆμα δὲ καὶ οἱ Συρακόσιοι ἱππεῖς ὑπὸ Διονυσίου εἰς Κατάνην ἀπεστάλησαν.*“ —

vicesimo altero, ante ver 409, si nostra computatio vera est. Secundum Diodorum Poeni aestate 410 et hieme sequenti expeditionem apparaverant; captae autem urbes sunt aestate 409 (archonte Diocle Ol. 92, 4; 409—8). Atque in hac re praeferenda est auctoritas Diodori. Is enim de tempore excidii ubique sibi constat [1]); Xenophon sibi non constat, sed alio loco tacite confirmat Diodori testimonium. Nam aestate belli 23. quo tempore Thrasylus Ioniam invasit, Syracusis recentes naves longas ad classem Peloponnesiorum advenisse refert; quod profecto non potuisset fieri si jam anno antea Selinus diruta fuisset. Poeni enim ineunte vere, vix ante Martium Julianum in Siciliam trajecerunt et Majo vel Junio videntur Himeram cepisse; quare si Xenophon excidium urbium recte ad annum 22. retulisset, captae essent ineunte eo anno, aestate vel vere 410. Quis autem credat, anno postea, quum universa Sicilia jam in summo periculo versaretur, Syracusanas naves in Graeciam contra Athenienses missas esse [2])? Quin si Diodoro credimus, classis, quam Siceliotae ad id tempus in mari Aegaeo habuerant, tam mature revocata est, ut Himeraeorum fugam adjuvaret [2]); sed hic manifestus est error scriptoris, qui ita loquitur quasi Siceliotae praeter illas viginti quinque naves Syracusanas, ex Graecia revocatas, nullam triremem habuissent. Verum etiam tum, quum Poeni ineunte vere exercitum in Siciliam transportabant, Syracusani nesciebant quid illi pararent [3]); nec prius quam Selinus capta esset, videntur classem suam revocasse. Ejus cladis nuntium circa exeuntem Junium 409 in Ioniam pervenisse, ipse Xenophon quodammodo testis est; qui postquam narravit victoriam eo tempore ab Ephesiis auxilio Syracusanorum et Selinuntiorum de Thrasylo reportatam, ita pergit (l. I, 2, 10): „*τοῖς δὲ Συρακοσίοις καὶ Σελινουσίοις κρατίστοις γενομένοις ἀριστεῖα ἔδωκαν καὶ κοινῇ καὶ ἰδίᾳ πολλοῖς, καὶ οἰκεῖν ἀτέλειαν ἔδοσαν τῷ βουλομένῳ ἀεί· Σελινουσίοις δέ, ἐπεὶ ἡ πόλις ἀπωλώλει, καὶ πολιτείαν ἔδοσαν.*“ Itaque Xenophon in eo lapsus esse videtur, quod anno 22. factam dixit expeditionem Poenorum, quae apparata quidem erat auctumno et hieme ejus anni [4]), incepta vel circa illius exitum vel ineunte 23., finita tertio fere mense 23. anni. Nec difficile est erroris causam explicare. Voluit enim rem, cui Thucydides certe plus quam tres lineas tribuisset, breviter absolvere; quare quum in commentariis Thucydideis anno 22. causas et initium belli [5]) et apparatus Hannibalis, fortasse etiam initium expeditionis, memorata reperiret, statim subjunxit

---

1) XIII, 44 (arch. Glaucipp. Ol. 92, 3): „*ὁ δὲ Ἀννίβας τό τε θέρος ἐκεῖνο καὶ τόν συνάπτοντα χειμῶνα* (410—9) — *παρεσκευάζετο, διανοούμενος τῆς ἐαρινῆς ὥρας ἐνισταμένης διαβιβάζειν τὰς δυνάμεις*“; c. 54: (arch. Diocl. 92, 4): „*περὶ δὲ τούτους τοὺς καιροὺς* (intelligendum est ver 409) *Ἀννίβας — τοὺς — στρατιώτας συνήγαγε· καὶ — πλοῖα — παρεσκευάσατο· — περαιωθεὶς δὲ*“ *κτλ.* c. 59: „*αὕτη μὲν οὖν ἡ πόλις ἀπὸ τῆς κτίσεως οἰκηθεῖσα χρόνον ἐτῶν διακοσίων τετταράκοντα δύο ἑάλω.*“ Putat enim Selinuntem conditam esse a. 651 a. Chr. Cf. C. Fr. Hermann, Lehrb. d. Staatsalterth. 85, 10. —

2) XIII, 61. —

3) Diod. XIII, 54. —

4) Cf. Dodwell l. l. s. 22. —

5) Jam ea aestate quae praecedebat magnam Hannibalis expeditionem Selinusii cum Poenis in territorio Segestano conflixerunt. Diod. XIII, 44. —

belli exitum. Una tamen difficultas sic quoque relinquitur, quam emendatione librorum tollendam existimo. Fieri potuit ut Syracusani, qui ab initio in Punico bello partem non habebant, ineunte anno 409, paulo antequam Hannibal in Siciliam trajecit, quinque navibus classem quam in Ionia habebant augerent; sed incredibile est Selinuntios, quo tempore cum Egestaeis et Poenis bellum gerebant neque ignorabant Poenos his in aestatem sequentem auxilium promisisse classemque magnam parare, eodem tempore duas naves recentes in Ioniam misisse. Id autem nunc legitur apud Xenophontem I, 2, 8: „— *ἐβοήθησαν σφίσιν* (sc. Ephesiis) — *Συρακόσιοι οἵτ᾽ ἀπὸ τῶν προτέρων εἴκοσι νεῶν καὶ ἀπὸ ἑτέρων πέντε, αἳ ἔτυχον τότε παραγενόμεναι, νεωστὶ ἥκουσαι μετὰ Εὐκλέους τε τοῦ Ἵππωνος καὶ Ἡρακλείδου τοῦ Ἀριστογένους στρατηγῶν καὶ Σελινούσιαι δύο.*“ Verum tria postrema verba non hujus loci esse vel inde apparet quod grammatico reliquorum nexui quam maxime repugnant: videntur ex Thucydide [1]) huc translata esse a librario, quem in errorem induxerat sectio 10, ubi Selinusii una cum Syracusanis dicuntur proelio pedestri interfuisse [2]). Sed hi erant nautae priorum navium, quae anno 412 in Joniam venerant, Cyzicena autem pugna captae erant; tum autem Selinusii naves non habuisse videntur, nec s. 13, ubi scriptor refert, viginti quinque naves Syracusanorum abeuntem Atheniensium classem persecutas sed ab illa fugatas esse, Selinusiarum navium mentio fit.

Simili errore Xenophon alteram Poenorum expeditionem, qua Agrigentum ceperunt, attribuit anno belli 25. [3]). Capta est urbs secundum Diodorum *μικρὸν πρὸ τῶν χειμερινῶν τροπῶν* [4]), circa ineuntem Decembrem, quum obsidio Aprili, vel, si septem menses duravit, Majo coepisset; nec Decembrem anni Ol. 93, 2. 407 a. Chr. sed Ol. 93, 3. 406 a. Chr. intelligendum esse, inde apparet quod expugnationem urbis mox secuta est Dionysii tyrannis; hanc autem anno 405 initium cepisse statim videbimus. Certe non biennium inter utramque rem interfuit, ut Xenophon statuere videtur. Verum Diodorus quoque in tempore belli Agrigentini constituendo peccavit. Nam quum expugnationem urbis anno Calliae (406—405) factam recte narraverit, falso ad eundem archontem refert quae paulo ante expeditionem evenerunt: pugnam navalem qua Syracusani Poenos vicerunt et legationem quam compertis Poenorum apparatibus Spartam miserunt [5]). Haec enim patet anno Antigenis, aut auctumno 407 aut hieme 407—406 facta esse. Eadem vero Thucydides in commentariis recte inter res gestas anni 25. memoraverat; qua re Xenophon inductus est, ut ad eundem annum minus accurate referret ipsam expeditionem; quae ineunte anno 26. incepta, hieme finita est. Denique tyrannidem Xenophon refert ad annum 27. (405 — 4); idque recte et accurate ab eo statui, vel inde colligas quod addit, Dionysium

1) VIII, 26: „—*τῶν τε γὰρ Σικελιωτῶν — εἴκοσι νῆες Συρακοσίων ἦλθον καὶ Σελινούντιαι δύο.*“ —

2) Nisi forte satius duxeris, ejecto numero *δύο* et una praeterea litera mutata scribere „*καὶ Σελινούσιοι.*“ —

3) I, 5, 21. —

4) XIII, 91. — Cf. 90: „*Σκιπίων — ὕστερον ταύτης τῆς ἁλώσεως σχεδὸν ἑξήκοντα καὶ διακοσίοις ἔτεσιν ἐκπορθήσας Καρχηδόνα.*“ —

5) XIII, 80. 81. —

tyrannidem occupasse media anni parte, hoc est circa auctumnum 405. At Diodorus hanc quoque rem assignat anno Calliae, quo Agrigentum captum est; et, quum statim addiderit, eum triginta octo annos tyrannidem obtinuisse [1]), id postea quoque repetit, ubi anno Ol. 103, 1. (368—67) mortuum refert [2]); concinuntque annorum numeri. Quare, quum Dionysius quoque Halicarnassensis idem testetur, hos secuti sunt recentiores, imprimis Dodwell, Clinton, Grote; et, quia Diodorus Gelae Camarinaeque expugnationem, et quae praeterea aestate 404 gesta Xenophon memorat, ad annum Ol. 93, 4. arch. Alexiae (405—404) refert, ibi quoque Xenophontem errasse, et has res aestate 405 gestas opinantur. Sed Xenophontem, qui Gelae quoque expugnationem non modo anno belli 28., verum accuratius etiam auctumno ejus anni attribuit, et hoc loco et priore II, 2, 24 tantopere errasse, equidem non possum mihi persuadere; praesertim quum ei suffragentur Justinus et Eusebius, quorum uterque initium tyrannidis Dionysii ad eundem annum refert quo Athenae captae et triginta viri constituti sint [3]), hoc est ad annum Alexiae (Ol. 93, 4. 405—404.). Tricas eas sic fere explicandas esse arbitror. Dionysius non subito, sed compluribus quasi gradibus ad tyrannidem pervenit, ut optime exposuit Grote [4]). Primum, paulo postquam Agrigentum dirutum est, permovit Syracusanos ut strategis magistratum abrogarent, seque et amicos suos illis substituerent; deinde effecit ut populus exules revocaret; tum, Gelam cum exercitu profectus, Gelois persuasit ut plerosque divitum capitis damnarent, horumque bonis inter milites suos distributis, Syracusas revertit; ibi collegas suos proditionis accusavit, qua re assecutus est votum populi, quo ipse dictator (στρατηγὸς αὐτοκράτωρ) creatus, militibus stipendium duplicatum est; postremo exercitum Leontinos eduxit ibique concionis voto ei concessum est, ut instrueret cohortem custodum corporis, cum quibus Syracusas rediit, occupavit Ortygiam, uxorem duxit filiam Hermocratis, denique tyrannidem aperte professus est. Haec omnia a bruma 406 ad initium veris sequentis facta esse existimat Grote; sed tribus mensibus tot et tantae res vix absolvi poterant. Crediderim potius, ea novem menses, ab initio 405 ad auctumnum ejus anni, explevisse; indeque ortus videtur scriptorum veterum dissensus. Ii, quos Dionysius et Diodorus sequuntur, initium tyrannidis repetiverunt aut ab ipsa hieme 406—405, qua strategiam primum assecutus est, aut a voto populi quo dictator est creatus, quod circa exeuntem Calliae annum, aestate 405, factum videtur. Accuratius Xenophon eum tyrannidem assecutum statuit archonte Alexia, auctumno 405, ubi Ortygiam cohorte praetoria occupavit. Tertiam autem Poenorum expeditionem recte a Xenophonte ad aestatem 404 referri [5]), ipse Diodorus quadam ratione confirmat. Is enim, si Gela et Camarina eadem aestate, qua Dionysius tyrannus factus est, a Poenis captae

---

1) XIII, 96. —
2) XV, 73. —
3) Cf. Dodwell de cyclis, diss. VIII, s. 29. —
4) Gesch. v. Gr. v. V, p. 653—664. ed. Germ. — Cf. Diod. XIII, 92—96. —
5) II, 3, 5. —

essent, hanc rem illi statim subjungeret; nunc autem cap. 97. transit ad res in Graecia gestas, refert Callicratidae facinora et interitum, cap. 104. novum annum Alexiae inchoat, narrat cladem apud Aegospotamos, obsidionem Athenarum, deditionem urbis bellique exitum; tum demum c. 108. ita pergit: „Μικρὸν δὲ τῆς εἰρήνης ὕστερον ἐτελεύτησε Δαρεῖος ὁ τῆς Ἀσίας βασιλεὺς ἄρξας ἔτη δεκαεννέα[1]), — κατὰ δὲ τὴν Σικελίαν Ἰμίλκων — ἀρχομένου τοῦ θέρους τὴν μὲν τῶν Ἀκραγαντίνων πόλιν κατέσκαψε[2]) —, αὐτὸς δὲ ἀναλαβὼν ἅπασαν τὴν δύναμιν ἐνέβαλεν εἰς τὴν τῶν Γελῴων χώραν“ κτλ., ubi vide quam sibi repugnet, quum expeditionem eam aestate proxima ab Agrigenti expugnatione, hoc est aestate 405, archonte Alexia (405—404), nihilominus autem post finem belli Peloponnesiaci factam statuit. Videtur autem duorum annorum res, aestatis 405 et 404, eo loco, ut saepius, confudisse: aestate 405 Himilco Agrigentum, quod Decembri 406 expugnaverat, funditus evertit, nec tamen Gelam aggressus est, etsi Geloi jam hoc anno, eodem quo Dionysius ad tyrannidem pervenit, invasionem Poenorum expectabant: proxima demum aestate (404) Poeni Gelam et Camarinam expugnaverunt[3]), et Dionysius pace cum illis facta, equitibusque ex urbe expulsis, dominatum suum confirmavit.

At Xenophontem quoque sibi repugnare objiciunt, qui, quum I, 5, 21 dixisset Agrigentum captum esse, II, 2, 24 eandem rem iterum narret tamquam 27. belli anno factum. Sed haec altero eo loco certissime ab interpolatore male docto addita sunt, qui sciebat Dionysio Agrigenti expugnationem occasionem occupandae tyrannidis praebuisse. Et advertas quam male haec dicta sint: Dionysius Syracusanus tyrannidem sibi arrogavit, proelio quidem victis a Syracusanis Poenis, sed inopia frumenti potitis Agrigento, coactis urbem relinquere Siceliotis![4]) Quis haec ferat in quolibet scriptore, nedum in Xenophonte, artifice verborum elegantissimo? Sane Breitenbach etiam priora illa: ὁ ἐνιαυτὸς — ἐν ᾧ μεσοῦντι Διονύσιος — ἐτυράννησε Xenophonti abjudicat, ita disputans: „Hoc eo sensu dictum esse videtur, ut sit: tyrannidem occupavit, quam vim vocabulum τυραννεῖν nullo modo habet.“ Sed relegandus est ad Krügeri Grammaticam Graecam, ubi 53, 5, 1 inter alia aoristi inchoativi exempla hoc quoque Isocrateum reperiet: „Οὐδεὶς εὑρεθήσεται κάλλιον λαβὼν Εὐαγόρου τὴν βασιλείαν, εἰ ἐξετάζειν τις ἐπιχειρήσει, ὅπως ἕκαστος ἐτυράννευσεν.“

Sponte patet multo minus facile priores illos Xenophontis locos I, 1, 37 et I, 5, 21 cum Diodoro conciliari, si quis caput primum nihil nisi semestre posterius anni 21. complecti cum Haackio statuat. Rursus nostrae computationi adversari videtur quod Xenophon I, 3, 13

1) Ineunte anno 404. vid. Clinton. Cf. Justin. V, 8: „Insignis hic annus et expugnatione Athenarum, et morte Darii regis Persarum et exilio (sic) Dionysii Siciliae tyranni fuit.“ —

2) Evertere enim urbem, quum Decembri 406 eam cepisset, in ver proximum distulerat. Cf. c. 91. —

3) Ita statuit Wachsmuth, Hellenische Alterthumskunde I, p. 883. —

4) II, 2, 24: „— Διονύσιος — ἐτυράννησε, μάχῃ μὲν πρότερον ἡττηθέντων ὑπὸ Συρακοσίων Καρχηδονίων, σπάνει δὲ σίτου ἑλόντων Ἀκράγαντα, ἐκλιπόντων τῶν Σικελιωτῶν τὴν πόλιν.“ —

de itinere Hermocratis Syracusani refert: „ἐπορεύοντο δὲ (sc. cum legatis Atheniensium qui aestate 408 ad Pharnabazum et regem Persarum mittebantur) καὶ Λακεδαιμονίων πρέσβεις Πασιππίδας καὶ ἕτεροι, μετὰ δὲ τούτων καὶ Ἑρμοκράτης ἤδη φεύγων ἐκ Συρακουσῶν, καὶ ὁ ἀδελφὸς αὐτοῦ Πρόξενος. καὶ Φαρνάβαζος μὲν τούτους ἦγε." Antea narratum erat Hermocratem, quum post Cyzicenam cladem imperio motus exilioque mulctatus esset, Pharnabazum adisse, et ab eo liberaliter pecunia adjutum mercenarios et triremes, ut reditum in patriam tentaret, comparasse [1]). Jam vero Diodorus, ubi Hannibalem capta Himera Carthaginem revertisse narravit, haec statim ut eodem anno Ol. 91, 4. (409 — 8) facta subjungit: Hermocratem, pecunia a Pharnabazo instructum Messanam venisse, et quinque triremibus ibi aedificatis, collectisque mille exulibus Himeraeis, primum Syracusas frustra aggressum esse, deinde occupata et communita Selinunte cives qui reliqui erant aliosque multos homines ibi ad urbem denuo condendam collegisse, indeque ex terra Motyena et Panormitana, Poenis subjecta, praedatum, majore quam antea cura reditum in patriam parasse [2]). Idem postea sub anno Ol. 93, 1 (408—7) refert Hermocratem apud Himeram collegisse ossa eorum qui a. 409 a Poenis caesi erant atque etiamtum insepulti jacebant; cum his igitur ad portas Syracusarum appropinquasse, sperantem se ea occasione revocatum iri. Sed spes eum fefellit, etsi adversariorum princeps Diocles tunc in exilium actus est. Paulo post Hermocrates urbem denuo armis aggressus in ejus introitu pugnans cecidit [3]). Haec annis 409 usque ad 407 gesta statuit G. Grote [4]), negatque propterea, clarum illum Hermocratem legatos Lacedaemoniorum ad Pharnabazum secutum esse, sive erraverit Xenophon sive de alio quopiam Hermocrate locutus sit. Sed eundem ibi quoque intelligendum esse, vel ex nomine Proxeni fratris apparet, qui cum illo ad Pharnabazum profectus est. Is enim non diversus videtur a Polyxeno eo quem Diodorus [5]) affinem, ipse Grote [6]), nescio qua auctoritate, sed rectius fratrem Hermocratis dicit. Quid ergo? dixerit aliquis. Nonne iter Hermocratis et legatorum cum Haackio ad annum 409 referendum esse consequitur? Non credo; praesertim quum ne sic quidem Xenophontis narratio cum iis quae Diodorus refert, plane conveniat. Hunc potius res illas non prorsus recte tradidisse suspicor; nam in eo certe erravit, quod Hermocratem tum demum quum Messanam advenisset, triremes fabricasse refert. Apud Xenophontem autem desunt nonnulla quae e Diodoro repetere licet.

---

1) 1, 31: „Ἑρμοκράτης — ἀφικόμενος παρὰ Φαρνάβαζον πρὶν αἰτῆσαι χρήματα λαβὼν παρεσκευάζετο πρὸς τὴν εἰς Συρακούσας κάθοδον ξένους τε καὶ τριήρεις." —

2) Diod. XIII, 65. —

3) XIII, 75. —

4) vol. V, p. 641. 644. ed. Germ. —

5) XIII, 95. —

6) l. l. p. 664. — p. 644. Grote miratur quod Polybius XII, 25. p. refert Hermocratem apud Aegospotamos in classe Lacedaemoniorum pugnasse; cujus erroris nullam causam inveniri ait. Sed deceptus videtur Polybius scriptoris alicujus verbis qui Hermocratem pugnae „in Hellesponto" commissae interfuisse prodiderat; interfuit enim duobus proeliis quae anno 411 illic facta sunt. —

Quis enim credat Hermocratem, quum jam aestate 410 coepisset triremes instruere, duobus annis ne periculo quidem redeundi facto, anno 408 ad Persarum regem abisse? Itaque probanda est Schneideri sententia, Hermocratem primo redeundi conatu irrito facto revertisse in Graeciam ut auxilio Pharnabazi et fortasse regis Persarum novos apparatus faceret. Videtur autem aestate 409 statim post excidium Himerae in Siciliam venisse, Syracusas frustra tentasse, Selinuntem occupasse, agros Motyenos et Panormitanos vastasse, denique ossa caesorum Himera Syracusas apportasse, ut exilium Dioclis ad hiemem 409—8 referendum sit. Hermocrates autem vere proximo, spe frustratus, in Graeciam navigavit et exeunte aestate 408 cum legatis ad Pharnabazum profectus est. Videtur ipsum regem adire voluisse; sed iter ejus adventu Cyri interruptum esse censeo. Quando deinde, novis copiis vel a Cyro, vel a Pharnabazo adjutus, in Siciliam rursus abierit, non liquet. Cecidit certe ante ver 406, quo Himilco Agrigentum aggressus est, fortasse auctumno 407. Xenophonti autem nec priores illi conatus neque exitus viri praetermittendi fuerunt, quum praesertim et ante de primo ejus consilio apparatuque uberius dixerit, et postea itineris illius mentionem fecerit. Neque a scriptore illa omissa esse sed ex nostris libris excidisse suspicor. Sunt etiam utroque loco, et c. 1, s. 27—31 et c. 3, s. 13. haud obscura corrupti textus vestigia. Nam c. 1, s. 13 verba *ἤδη φεύγων ἐκ Συρακουσῶν* suspecta videntur quia jam priore illo loco multa de exilio viri, quo duobus annis antea punitus est, dicta erant[1]). Prioris autem loci, quo de exilio et abdicatione Hermocratis et de adventu successorum agitur, quantae difficultates sint, satis exposuerunt Krüger[2]) et Peter[3]); est vero adeo turbatus et mutilus ut de restituendo paene desperandum videatur.

(XX.) Nihilominus ex iis, quae eodem loco de Syracusarum classe et successione imperatorum memorantur, novum argumentum contra Haackianam annorum computationem effici potest. Etenim Cyzicenam pugnam non ante medium Februarium 410 commissam esse, ipse Haacke opinatur. Illa autem pugna classis Peloponnesiorum universa capta est, nisi quod Syracusani suas naves combusserant[4]). Iidem deinde, dum in navalibus Antandriorum, Pharnabazo materiam praebente, nova classis aedificatur, Antandrios in moenibus urbis reficiendis adjuverunt[5]). Jam, si caput primum nihil nisi anni 21. posteriorem partem complecteretur, successores Hermocratis ad exercitum pervenissent circa exeuntem Martium[6]) Hi vero imperium classis et exercitus susceperunt Mileti[7]).

1) Cf. Breitenbach ad l. l. —

2) ad Dion. historiogr. p. 322. 23. —

3) l. l. p. 23. sq. —

4) H. Gr. I, 1, 18. —

5) I, 8, 25. 26: „— *ναυπηγουμένων δὲ οἱ Συρακόσιοι ἅμα τοῖς Ἀντανδρίοις τοῦ τείχους τι ἐπετέλεσαν, καὶ ἐν τῇ φρουρᾷ ἤρεσαν πάντων μάλιστα.*“ —

6) I, 1, 29; „— *ἔμειναν* (sc. Hermocrates cum collegis) *ἕως ἀφίκοντο οἱ ἀντ᾽ ἐκείνων στρατηγοί, Δήμαρχός τε Ἐπιδόκου καὶ Μύσκων Μενεκράτους καὶ Πόταμις Γνωσία.*“ —

7) I, 1, 31: „*ἐν τούτῳ δὲ ἧκον οἱ διάδοχοι τῶν Συρακοσίων ἐς Μίλητον καὶ παρέλαβον τὰς ναῦς καὶ τὸ στράτευμα.*“ Cf. Thuc. VIII. 85: „— *καὶ τὰ τελευταῖα φυγόντος ἐκ Συρακουσῶν τοῦ Ἑρμοκράτους καὶ ἑτέρων ἡκόντων*

Novae igitur illae triremes diebus ad summum quadraginta et aedificatae essent et instructae et Antandro Miletum devectae; quod eo temporis spatio perfici potuisse credat Judaeus Apella! Tum aestate quae secuta est, eaedem illae naves, Epheso septentrionem versus navigantes, prope Methymnam a classe Thrasyli fugatae essent. Atqui — quum Hermocrati collegisque ejus antea successissent strategi Demarchus, Mysco, Potamis — jam circa Junium ejusdem aestatis Eucles et Heraclides strategi cum quinque recentibus navibus Syracusis advenissent [1]). Dixeris hos prioribus additos esse propter auctum navium numerum. Multo melius tamen ex nostra annorum computatione res intelliguntur. Apud Cyzicum pugnatum erat hieme vel vere 410. Duobus mensibus post nuntiatum est Hermocratem et collegas propter perditae classis invidiam magistratu remotos et exilio punitos esse [2]). Quarto vel quinto post pugnam mense nova classis Antandri constructa Miletum se contulit (cujus rei commemoratio excidit fortasse apud Xenophontem), ibique ad eam cum quinque recentibus navibus pervenerunt imperatores prioribus suffecti, Demarchus et collegae. Hi tamen vere proximo quum legitimus annui magistratus terminus adesset, tradebant imperium successoribus legitimis Eucli et Heraclidi.

At vero si Haackiana computatio vera esset, non sufficeret adventum imperatorum ad ultimos dies anni 21. referre; tot res etiam postea gestae eodem illo anno includendae essent ut adventum Demarchi necesse esset vel ad Februarium 410 relegare. Nam dum novi imperatores ad classem Syracusanam perveniunt [3]), Thasii Laconistas expulerunt; culpa ejus rei confertur in Pasippidam, Mindari in nauarchia successorem; Pasippida in exilium acto, Cratesippidas fit nauarchus et suscipit imperium navium quas Pasippidas a sociis coëgerat. Eodem tempore [4]) Agis sub moenibus Athenarum a Thrasylo fugatur, quo facto populus huic magnas copias decernit. Tum Agis („Ἆγις δὲ") impetrat a Lacedaemoniis ut Clearchum mitterent Byzantium. Megarenses igitur aliique socii instruunt quindecim naves, quarum major pars cum Clearcho feliciter in Bosporum evadit [5]). Sane Haacke contendit horum pleraque diversis quidem locis verum tamen eodem tempore gesta esse. Sed hoc certe manifestum est, Demarchum aliquanto post pugnam Cyzicenam advenisse, Cratesippidam aliquot diebus post adventum Demarchi imperium suscepisse, Clearchum aliquot diebus post Cratesippidae initium Byzantium pervenisse. Atque hoc postremum non quadragesimo fere die post cladem Cyzicenam factum esse alia quoque ratione probari potest. Xenophon enim antea narraverat, Athenienses pugna illa victores die

---

ἐπὶ τὰς ναῦς τῶν Συρακοσίων ἐς τὴν Μίλητον στρατηγῶν, Ποτάμιδος καὶ Μύσκωνος καὶ Δημάρχου" κτλ. Quum nuntius abrogati imperii adlatus est, Syracusani etiam tum Antandri versabantur. Cf. H. Gr. I, 1, 27. —

1) I, 2, 8: quinque naves „αἳ ἔτυχον τότε παραγενόμεναι, νεωστὶ ἥκουσαι μετὰ Εὐκλέους τε τοῦ Ἵππωνος καὶ Ἡρακλείδου τοῦ Ἀριστογένους στρατηγῶν." —

2) Hoc propter cladem factum esse docet Grote, nullo, ut videtur, diserto testimonio usus, etsi res quam maxime verisimilis est. —

3) I, 1, 32: „Ἐν Θάσῳ δὲ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον στάσεως γενομένης" κτλ. —

4) I. 1, 33: „περὶ δὲ τούτους τοὺς χρόνους Θρασύλου ἐν Ἀθήναις ὄντος Ἆγις" κτλ. —

5) I, 1, 34—36. —

proximo Cyzico potitos esse, hinc vicesimo die Proeconnesum profectos, inde Perinthum abiisse; quam urbem quum recepissent et Selybrianis pecuniam extorsissent; devecti in Bosporum, Chrysopolim communiverunt et a navibus praetervehentibus decumas exigere coeperunt. Tum Eumacho et Theramene imperatoribus cum navibus triginta ibi relictis, qui Bosporum custodirent et hostes quovis modo vexarent, major pars classis revertit in Hellespontum [1]). De Clearchi autem expeditione scriptor s. 35 et 36 haec prodit: „*Ἆγις δὲ ἐκ τῆς Δεκελείας ἰδὼν πλοῖα πολλὰ σίτου εἰς Πειραιᾶ καταθέοντα, οὐδὲν ὄφελος ἔφη εἶναι τοὺς μετ᾽ αὐτοῦ πολὺν ἤδη χρόνον Ἀθηναίους εἴργειν τῆς γῆς, εἰ μή τις σχήσοι καὶ ὅθεν ὁ κατὰ θάλατταν σῖτος φοιτᾷ· κράτιστόν τε εἶναι Κλέαρχον τὸν Ῥαμφίου, πρόξενον ὄντα Βυζαντίων, πέμψαι εἰς Καλχηδόνα τε καὶ Βυζάντιον. δόξαντος δὲ τούτου πληρωθεισῶν νεῶν ἔκ τε Μεγάρων καὶ παρὰ τῶν ἄλλων ξυμμάχων πεντεκαίδεκα στρατιωτίδων μᾶλλον ἢ ταχειῶν ᾤχετο· καὶ αὐτοῦ τῶν νεῶν τρεῖς ἀπόλλυνται ἐν τῷ Ἑλλησπόντῳ ὑπὸ τῶν Ἀττικῶν ἐννέα νεῶν, αἳ ἀεὶ ἐνταῦθα τὰ πλοῖα διεφύλαττον, αἱ δ᾽ ἄλλαι ἔφυγον εἰς Σηστὸν* [2]), *ἐκεῖθεν δὲ εἰς Βυζάντιον ἐσώθησαν*“. Recte interpretatur Leonclavius: „frustra suos ajebat longo jam temporis spatio terra prohibere Athenienses nisi quis eos ab illis etiam locis excluderet unde mari frumentum veheretur“. Recte etiam Herzberg; „— *Agis dringt darauf, den Bosporus den Athenern rasch* (nimirum, ut ipse credit, altero mense post cladem Cyzicenam) *wieder zu verschliessen.*“ Sed male idem pergt [3]): „*So entschloss sich denn Sparta, es zunächst mit dem Landkrieg zu versuchen, vor Allem Byzanz sammt Chalcedon zu halten.*“ Naves Clearchi non modo ut milites Byzantium transportarent, sed ut ipsae Bosporum occuparent missae sunt. Sequitur autem ex loco quem adscripsi, magnam classem Atheniensium tum non circa Hellespontum fuisse, quo post Cyzicenam victoriam altero fere mense ex Bosporo redierat; nec Theramenis triginta naves Chrysopoli fuisse videntur. Nam si Lacedaemonii illas regiones tantis hostium copiis occupatas scivissent, quomodo potuissent sperare, se quindecim navibus illos commeatu Bosporano interclusuros esse?

His difficultatibus ii qui Haackium sequuntur ita fortasse se expedire conabuntur, ut pugnam Cyzicenam ad tempus aliquanto prius relegent. Etenim e Xenophonte non effici potest, eam plus quam duobus mensibus post Abydenum proelium commissam esse. Hoc autem scriptor ad initium hiemis 411 — 10 refert [4]). Sed quaeritur quodnam anni tempus verbis *ἀρχομένου χειμῶνος* significetur? Quoniam Xenophon opus Thucydideum continuavit, cogitaveris de hieme semestri quae eo anno circa 21. d. Septembris inceperit [5]). Thucydides enim paucis die-

---

1) H. Gr. I, 1, 19 – 22. —

2) Scriptor lapsu calami Sestum, quae statio Atheniensium erat, pro Abydo aliove quodam ejus regionis oppido nominasse videtur, ut recte monuit Grote, v. IV, p, 437. ed. Germ. —

3) Alkibiades, p. 35. —

4) H. Gr. I, 2: — „*Δωριεὺς — εἰς Ἑλλήσποντον εἰσέπλει ἀρχομένου χειμῶνος*“ *κτλ.* —

5) Cf. diss. mea de tempore quo b. P. in. cep. p. 28. —

bus ante aestatis semestris exitum finem historiae fecisse videtur[1]). Sed initio capitis primi quaedam excidisse cum Petero aliisque arbitror. Difficultas ea quae in sect. prima est, ne iis quidem quae Breitenbach (Philologus 1847, p. 440 sq.) monuit, satis explicatur. Videtur sane proelium quod scriptor eo loco commemorat, in Hellesponto factum esse; sed ita, qui id commiserunt, „*Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀθηναῖοι*“, fuerint magnae utriusque populi classes, quae paulo ante ad Cynossema pugnaverant[2]). Quomodo igitur explicaveris quod classi Peloponnesiorum non Mindarus nauarchus[3]) neque Hippocrates ejus *ἐπιστολεύς*[4]) sed Hegesandridas praefuisse dicitur? Loco difficili sic fortasse optime succurretur, ut deleamus verba *ἡγουμένου Ἡγησανδρίδου*. Fuerint ea librarii glossema, qui deceptus nomine Thymocharis putaverit, describi proelium illud quo paulo antea Thymocharem Hegesandridas apud Eretriam deviceerat[5]). Nam Peteri conjecturam, cui verba Xenophontis visa sunt fragmenta narrationis de eodem illo Eretriensi proelio ad exemplum Thucydidis effictae, merito Breitenbach rejecisse videtur. Sed utut haec sunt scriptor librum suum, etsi supplementum Thucydidis erat, vix potuit istis verbis, quibus nunc incipit, inchoare. Etenim nonnulla nunc omittuntur neque a Thucydide neque a Xenophonte memorata quibus ad intelligenda sequentia carere non possumus. Explicandum erat, cur Tissaphernes qui jam Septembri constituerat[6]) ad Hellespontum abire, in itinere diutius commoratus sit? Deinde Thucydides narraverat Hippocratem et Epiclem Lacedaemonios a Mindaro Eretriam missos esse unde classem Hegesandridae arcesserent[7]). Memorandum igitur naufragium erat, quo illa classis in itinere periit; etiamsi autem Ephori[8]) de eo naufragio narratio omnino ficta esset (quod Volckmar existimavit, ego vero nequaquam credo), certe dicendum erat, utrum Hippocrates classem illam ad Hellespontum adduxerit an solus redierit; nam postea eum rursus in exercitu fuisse comperimus[9])? Haec igitur, quae Septembri et Octobri gesta videntur, memorata quidem initio operis fuisse, sed ex libris intercidisse existimo. Hiemem tum — communi hominum consuetudine — a Mae-

---

1) Pugnam apud Cynossema equidem ad ineuntem Augustum retulerim (VIII, 103 — 106). Alcibiades *πρὸς τὸ μετόπωρον ἤδη*, hoc est Septembri (VIII, 108) Samum rediit, quod quadragesimo fere die post illam pugnam factum videtur; eodem tempore Tissaphernes videtur Ephesum venisse (VIII, 109). —

2) I, 1: „*Μετὰ δὲ ταῦτα οὐ πολλαῖς ἡμέραις ὕστερον ἦλθεν ἐξ Ἀθηνῶν Θυμοχάρης ναῦς ἔχων ὀλίγας· καὶ εὐθὺς ἐναυμάχησαν αὖθις Λακεδαιμόνιοι καὶ Ἀθηναῖοι, ἐνίκησαν δὲ Λακεδαιμόνιοι ἡγουμένου Ἡγησανδρίδου.*“

3) Is enim et antea in pugna ad Cynossema (Thuc. VIII, 104) et paulo post in pugna Abydena (H. Gr. I, 1, 4) imperium tenuit. —

4) H. Gr. I, 1, 23. —

5) Thuc. VIII, 91. —

6) „*Διενοεῖτο*“ Thuc. VIII, 109. —

7) VIII, 107. —

8) Diod. XIII, 41. — Volckmar comm. hist. crit. p. 28; Cf. Krüger ad Dionys. historiogr. p. 323 sq.; Grote G. v. Gr. IV, p. 394 ed. Germ.; Breitenbach. proll. ad H. Gr. —

9) H. Gr. I, 1, 23. — Vid. de his omnibus Peter. l. l. p. 13 sq. Fortasse Mantithei quoque mentio facta erat, qui postea dicitur „*ὁ ἁλοὺς ἐν Καρίᾳ*“ s. 10. Weiske satis temere conjectaverat eum altero belli anno quo Athenienses duce Melesandro in Caria male res gesserant (Thuc. II, 69)

macterione[1]) sive Novembri scriptor orsus sit. Quare, si Novembri 411 apud Abydum pugnatum est, Cyzicenam pugnam ad Januarium 410 referre licet. Verum sic quoque vix tres menses usque ad novi anni initium relinquuntur, spatium brevius quam quo omnes res a s. 19 ad 37 commode comprehendi possint. Neque explicatur ita, quomodo Lacedaemonii Martio ejusdem anni Clearchum ad occupandum Bosporum mittere potuerint.

(XX.) Etenim, si magna classis Atheniensium interea illis locis abierat, mirum est cur scriptor hoc memorare omiserit. Itaque hic quoque confirmari videtur suspicio quam saepius indicavi, nonnullas res non modo auctumni 411 sed etiam aestatis 410, a Xenophonte memoratas, ex libris intercidisse. Quae qualia fuerint conjectura assequi lubricum est. Putaverim tamen Athenienses, quoniam Cyzicena pugna adversariorum classis universa interierat, partitis suis navalibus copiis ad diversas expeditiones abisse, ut oppida quae antea defecerant reciperent, pecunias ab adversariis sociisque exigerent, hostium oras vastarent. Imprimis autem ad hunc annum referam, quod Diodorus (XIII, 47.) sub archonte Glaucippo (410—409) memoravit: Theramenem, quum Chalcidenses et Boeoti Euripum aggere et ponte jungere coepissent, ad impediendum opus triginta navibus illuc profectum esse, indeque, frustratum incepto, circum insulas maris Aegaei navigasse et Pariorum rem publicam mutasse. Nam illa quidem res tanti momenti erat, ut a Xenophonte omissam esse vix credibile sit, quippe qui leviora multa verbo saltem memoraverit[2]). Euboenses vero tum praecipue, quum Athenienses dominatum maris recuperassent, inchoasse opus illud verisimile est, quo Euboea ex insula fieret chersonnesus. Neque aliud tempus rei convenit, quam non, ut Diodorus statuit, ante pugnam Cyzicenam factam esse, satis apparet e Xenophontis locis I, 1, 8. 12. Etiam legationem Endii Lacedaemonii, qui aestate 410, anno Theopompi (Ol. 92, 2.) nondum exacto, pacem Atheniensibus obtulit (Diod. XIII, 52; Philoch. ap. schol. Eurip. Or. v. 371.), a Xenophonte memoratam esse existimaverim. Fortasse Corcyraeorum quoque seditio, a Diodoro[3]) ad annum Glaucippi relata, cui Cono cum Attica classe intervenit, ad eandem aestatem pertinet. Alcibiadem interea cum pedestribus copiis puto circa Hellespontum egisse, cum Pharnabazo et Graecis ejus regionis proeliantem; nam ejusmodi quid a Xenophonte proditum fuisse colligo ex cap. I. s, 26.[4]) ubi Pharnabazum Antandro Chalcedonem auxilium laturum abisse dicit, nec tamen postea quid is gesserit memorat. Fortasse ad id tempus referenda est Frontini narratiuncula de strategemate Alcibiadis, cui praeterea nullus idoneus locus invenitur.[5])

---

captum esse; quod Breitenbach his verbis refellit: „Mantitheum eundem esse, qui secundo hujus belli anno captus fuisse narratur Thuc. II, 69. vix est credibile.“ At Thucydides ne nominavit quidem Mantitheum!

1) Harpocr. v. *Μαιμακτηριών.*

2) Thorici munitionem, receptionem Eïonis et Delphinii (I, 5, 15) alia. —

3) XIII, 48. —

4) *Φαρνάβαζος μὲν οὖν ταῦτα διατάξας εἰς Καλχηδόνα ἐβοήθει.*“ —

5) Front. strat. II, 7 (ds dissimulandis adversis), 6: „Alcibiades Atheniensis quum ab Abydenis proelio urgueretur, subitoque magno cursu

Si caput primum etiam nunc integrum extaret, fortasse illud quoque melius intelligeretur, cur Thrasylus, quum hieme 411/10 statim post Abydenam victoriam, ut naves et copias pedestres posceret, Athenas advenisset, duodeviginti fere menses ibi commoratus sit, priusquam Majo 409 magnis copiis Ioniam invaderet. Dicit scriptor Athenienses, quum exeunte hieme 410/9 Thrasylo duce Agidem a moenibus urbis propulissent etiam alacriores factos esse ad concedendum quod ille petebat, I, 1, 34: „*οἱ οὖν Ἀθηναῖοι τῷ Θρασύλῳ διὰ ταῦτα ἔτι προθυμότεροι ἦσαν ἐφ᾽ ἃ ἧκε, καὶ ἐψηφίσαντο*“ *κτλ.* Sed ipsa illa verba *ἔτι προθυμότεροι* indicant, ex priore capitis parte aliquid excidisse; nam in nostris libris nihil extat de voluntate populi antea dictum. Quae vero erant illa, „*ἐφ᾽ ἃ ἧκε*“ Thrasylus? Missus erat post Abydenam victoriam, „*ταῦτα ἐξαγγελῶν καὶ στρατιὰν καὶ ναῦς αἰτήσων*“ [1]). Expectamus igitur — advertas enim activum *αἰτήσων* — eum magno illi Hellespontiaco exercitui supplementa copiarum adducturum esse. Sed quod postea fieri videmus, longe aliud est. Thrasylus, *στρατηγὸς ἐπὶ τῶν ὁπλιτῶν* creatus, cum quatuor collegis, classe quinquaginta navium, mille hoplitis, centum equitibus, mittitur Samum indeque pedestri exercitu Ioniam invadit, Lydiam vastat, Colophonem recipit, denique Ephesum aggressus magna clade suorum fugatur; tum demum, desperans ut videtur de recuperanda Ionia, Hellespontum abit ibique cum Alcibiade copias conjungit [2]). Mirum est quod hoc postremum Palmerium [3]) permovit ut Thrasylum putaret Alcibiadis amicum fuisse; qua opinione inductus est, ut conjectura maxime temeraria ad locum c. 2, s. 13. et librorum lectionem et sententiam scriptoris prorsus immutaret. Narrat enim Xenophon, Athenienses quum Epheso Sestum navigarent in Syracusanas naves incidisse et quatuor ex iis cepisse; captivos tum Thrasylus Athenas misit praeter Alcibiadem Phegusium, cognominis imperatoris consobrinum et exilii quondam socium; hunc militibus lapidandum tradidit: „*Ἀλκιβιάδην δὲ Ἀθηναῖον Ἀλκιβιάδου ὄντα ἀνεψιὸν καὶ ξυμφυγάδα, κατέλευσεν.*“ Ita omnes libri; Palmerius autem conjecit *κατέλυσεν* („dimisit“). Sententia ejus tantopere placuit doctis hominibus, ut recentiores Historiae Graecae editores omnes lectionem librorum migrarent, et Wolfii etiam audaciorem conjecturam secuti, ederent *ἀπέλυσε* [4]). Verum non opus est conjecturis, sed manuscriptorum lectio verissima est. Alcibiades enim ille Phegusius [5]) et antea

---

tristem adventare tabellarium advertisset, prohibuit palam dicere quid afferret. Dein secreto sciscitatus, a Pharnabazo regio praefecto classem suam oppugnari, celatis et hostibus et militibus proelium finiit ac protenus ad eripiendam classem ducto exercitu, suis opem tulit.“ Nam quum hieme 409/8 Athenienses Pharnabazum prope Abydum fugarent, non videntur simul cum Abydenis conflixisse (Cf. H. Gr. I, 2, 16). —

1) I, 1, 8. —

2) I, 2, 1—13. —

3) Exercitat. p. 60. —

4) Ita Weiske, Schneider, Dindorf, Breitenbach. Dobraeus conjecerat: *κατηλέησε.* —

5) Cf. de eo Harpocr. v. *Ἀλκιβιάδης.* Andoc. de myst. 65; Droysen Rhein. Mus. 1835, p. 32; Herzberg, l. l. p. 217. Perperam Droysen existimat eum filium Axiochi, fratris Cliniae fuisse; nam quoniam Phegusius erat, non ex imperatoris Alcibiadis gente esse potuit; is enim Scambo-

erat capitis damnatus et tum in classe hostium cum armis captus; quare Thrasylus permisit militibus, supplicium de eo sumere quod haud raro Graeci de manifestis patriae proditoribus sumere solebant [1]). Si vero illum hominem impunitum dimisisset, fecisset profecto audacissime gravissimaeque poenae periculum ipse subisset. Nemo autem prodidit Thrasylum Alcibiadis imperatoris amicum fuisse [2]). Imo sunt quae ut contrarium credam me permoveant. Etenim anno 412 popularis quidem imperii defensor una cum Thrasybulo Thrasylus a Thucydide nominatur, Alcibiadi autem non Thrasylus, sed solus Thrasybulus reditum parasse dicitur [3]); anno 407, quo Alcipiades capto Byzantio summa populi gratia fruebatur, non Thrasylus [4]), sed Thrasybulus et Adimantus ejus collegae fuerunt; rursus post Antiochi cladem anno Calliae Thrasylus princeps strategorum, Thrasybulus et Adimantus privati fuerunt. Nec, puto, gravis ea simultas, quam Xenophon c. 2, s. 15. memoravit, inter milites Thrasyli et Alcibiadis exorta esset, nisi ipsi imperatores dissensissent [5]). Quae quum ita sint, conjicio haec fere de Thrasylo dicta ex libris Xenophontis excidisse: Thrasylum Novembri 411 Athenas venisse, sperantem, sibi ut constantissimo libertatis propugnatori par cum Alcibiade imperium a populo permissum iri, ideoque, ubi post Cyzicenam victoriam minus necessarium videretur, Hellespontiacum exercitum novis copiis statim augeri, petivisse a populo, ut ipse potius magno exercitu ad recuperandam Ioniam mitteretur. Populum autem, etsi a principio satis propensa voluntate eum audisset, tamen per annum 410 vel Euboicis rebus vel inopia pecuniae vel alia causa quam nunc ignoramus impeditum esse, quominus delectum illi decerneret.

In iis quae ex libris exciderunt, etiam anni 22. initium a Xenophonte notatum fuisse consentaneum est [6]). Jam si quaerimus, quonam loco capitis primi illa intercidisse videantur, primum quidem sectt. 2—8 quae pugnam Abydenam continent haud dubie sana sunt habenda. Etiam quae sectionibus 9—26 trium fere mensium spatium complexa memorantur tam arcte inter se connexa et tam dilucide narrata sunt, ut nulla lacuna inesse videatur [7]). At sectiones 27—31 corruptionis suspicionem

---

nides fuit. Videtur potius filius sororis Cliniae fuisse, quae filio nomen patris sui, Alcibiadis superioris, dederat. —

1) Vid. de lapidatione Meineke hist. crit. p. 167. 168; Wachsmuth Hell. Alterthsk. II, p. 793. 94. Locis veterum quos Wachsmuth comparavit, hi quoque addi possunt: Sophocl. Oed. Col. 435; Herodot. I, 167; V, 38; IX, 5. 120; Thuc. VIII, 84; Xen. exp. Cyri I, 3, 5. et aliis locis; Plut. Sol. 12; Luc. somn. 22; Diod. XIII, 87 (compar. 91. et Plat. epist. 8., p. 354 cf. Grote G. v. Gr. V, 656.); Dem. de cor. 204; Lycurg. 72. —

2) Thrasylus ille, „homo egenus et unus ex Alcibiadis sodalibus" qui a Satyro apud Athenaeum XII, 534 commemoratur, certissime non ut Sievers (comm. adv. 153) putat, imperator celeberrimus est. —

3) Thuc. VIII, 73. 75. 76. 81. —

4) Xenophontis verba I, 5, 10: *πρὶν δὲ ἥκειν αὐτόν κτλ.* tum demum recte intelliges si memineris Thrasylum Alcibiadis aemulum fuisse. —

5) Droysen (l. l.) qui lectionem librorum et ipse tuetur, dubitat num Phegusius Alcibiades consobrini sui amicus fuerit Verum hoc nisi ita fuisset, Xenophon l. l. vix addidisset illud: *ἀνεψιὸ·ν καὶ ξυμφυγάδα.* —

6) Cf. Palmer. l. l.; Dodwell l. l. s. 21. 26. —

.7) Descriptio pugnae Cyzicenae (s. 14—18.) apud Xenophontem optime

movent gravissimam ut jam supra monuimus. Videntur autem ea quae scriptor de Hermocrate et classe Syracusana duobus locis diversis prodiderat, a librario, ejectis quae inter utrumque de aliis rebus dicta erant, in unum contracta esse. Nam scriptor quum dixisset Pharnabazum Antandro Chalcedonem abisse, primum quidem ea persecutus videtur quae Antandri facta sint: Hermocratem, nuntio abrogati magistratus allato, nihilominus usque ad successorum adventum imperium obtinuisse.[1]) Deinde narraverit quae in Bosporo et Hellesponto aliisve locis circa idem tempus gesta sint; quibus absolutis rediit ad res Syracusanorum, usus fortasse iis verbis quae nunc in sect. 31 ineptissime collocata esse Krüger observavit[2]): „*ἐν τούτῳ δὲ ἧκον οἱ διάδοχοι τῶν Συρακοσίων ἐς Μίλητον καὶ παρέλαβον τὰς ναῦς καὶ τὸ στράτευμα.*“ Demarchus et collegae ejus quarto fere vel quinto a pugna Cyzicena mense ad exercitum pervenisse videntur[3]) Itaque si apud Cyzicum Januario vel Februario pugnatum est, advenerint illi circa Junium vel Julium Julianum; et s. 29. praeter alia etiam ineuntis anni 22. nota interciderit. Si autem pugna illa cum Diodoro ad aestatis initium referenda est, ante s. 9 nota ineuntis anni excidit, ut ibi quoque ante verba „*μετὰ δὲ ταῦτα Τισσαφέρνης*“ lacuna sit statuenda. Tum, quoniam ss. 9—15 spatium dierum quadraginta ad minimum complectuntur, apud Cyzicum pugnatum sit ineunte Majo, et Demarchus Septembri fere advenerit. Denique tertia fortasse lacuna est inter ss. 31 et 32. Nam ea quae s. 32 narrantur, seditio Thasiorum, exilium Pasippidae, nauarchia ad Cratesippidam delata, vix ante Februarium a. 409 facta videntur. Si Cratesippidas duobus modo mensibus ante anni nauarchici exitum Pasippidae suffectus sit, facilius intelligitur, quomodo etiam insuper biennium integrum munus obtinere potuerit. Clearchi expeditionem Martio 409 attribuerim.

Verum haec omnia incertis conjecturis niti me non fugit. Certum hoc tantum existimo, capite primo anni 21. posteriorem partem et integrum annum 22. contineri, initium antem anni 22. cum ipsis verbis *τῷ δ' ἐπιόντι ἔτει* ex libris manuscriptis intercidisse. Reliquum est ut conspectum exhibeam rerum, quae priore parte Historiae Graecae memorantur, secundum annorum ordinem digestarum.

---

se habet, et falluntur qui eam corrigendam vel explendam putant (Peter l. l. p. 20 sq.) ex narratione Diodori et Plutarchi, inepto strategemate exornata, in qua Ephori levitatem rhetoricam et pueriles argutias facile agnoscas. —

1) s. 27. 28. 29. usque ad verba „*ἔμειναν ἕως ἀφίκοντο οἱ ἀντ' ἐκείνων στρατηγοί*“, etsi fortasse eorum, quae nunc s. 28. continentur, nonnulla ex altero loco petita sint. —

2) Ad Dion. historiogr. p. 323. —

3) Aliquanto post Cyzicenam pugnam eos advenisse inde patet, quod interea nova classis constructa et Antandro Miletum devecta est.

Anni belli Peloponnesiaci.	RES GESTAE*).	Archontes et strategi Attici.
(Annus XXI. inceperat circa exeuntem Martium anni Juliani 411.)		
411. Octobri	(Agesandridae classis naufragio perdita). Thymochares paucis navibus Hellespontum venit. Proelio ibi commisso Lacedaemonii vincunt.	Annus Theopompi (Ol. 92, 2.) inceperat circa 24. d. Jun. 411. Strategi erant: 1. Thrasybulus Lyci f. 2. Thrasylus. 3. Alcibiades. 4. Thymochares. 5. Theramenes. 6. (Chares? Diod. XIII, 49. 7. (Conon? Diod. XIII, 48.) 8. Eumachus (al. Eubulus. H. Gr. I, 1, 22.)
Nov. (Hieme et vere?)	Classis Lacedaemoniorum apud Abydum fugatur. Thrasylus supplementa copiarum petiturus Athenas abit. Thrasybulus et Theramenes ex oris Thraciae et Macedoniae pecunias cogunt.	
Annus XXII. incipit circa 17. d. Mart. 410.	Tissaphernes in Hellespontum advenit, Alcibiadem comprehendit et Sardes abductum custodia retinet (?).	
(Majo?)	Lacedaemonii apud Cyzicum devicti? Athenienses Perinthum recipiunt,	
(Jun.?)	Chrysopolim communiunt. Peloponnesii et Syracusani Antandri naves aedificant (?). (Lacedaemonii Atheniensibus pacem offerunt?)	
(Jul.?)	Nuntiatur Syracusanis, Hermocrati exilium irrogatum esse. (?) (Alcibiades cum Pharnabazo et Abydenis proeliatur?)	Annus Glaucippi (Ol. 92, 3) incipit circa d. 13. Jul. 410.
(Aug.?)	(Euripus ponte junctus; respublica Pariorum a Theramene mutata?) (Naves Syracusanorum Antandro Miletum devectae?)	Strategi erant: 1. Thrasybulus. 2. Thrasylus. 3. Alcibiades. 4. Theramenes.

*) Signa interrogationis apposui iis rebus quarum tempus certo definiri nequit; uncos addidi iis quae nunc apud Xenophontem non inveniuntur.

Anni belli Peloponnesiaci.	RES GESTAE.	Archontes et strategi Attici.
(Sept.?)	Demarchus et collegae ejus imperium classis Syracusanae suscipiunt. Hermocrates reditum parat. (?)	5. Euclides. 6. Dexicrates. 7. Pasiphon. 8. Aristocrates. 9. E...... (Eumachus?) } Cf. marm. Chois.
Auctumno et hieme 410/9.	Pasippidas nauarchus naves a sociis cogit.	
	Thasii Laconistas expellunt.	
(409 Febr.?)	Pasippidae suffectus Cratesippidas. Agis a Thrasylo sub moenibus Athenarum in fugam compulsus.	
(Mart.?)	Clearchus Byzantium occupat.	
Annus XXIII. incipit circa 5. d. April 409.	Hannibal cum exercitu Poenorum in Siciliam profectus. (?)	
Vere. Circa 18. d. Maj.	Athenienses Thoricum communiunt. Thrasylus magno exercitu Athenis Samum profectus.	
	Eucles et Heraclides Syracusani cum quinque triremibus Ephesum adveniunt et imperium classis suscipiunt.	
	Selinus capta (?).	
Jun. ineunte	Thrasylus Lydiam invadit.	
	Himera capta (?).	
Circa 20. d. Jun.	Thrasylus apud Ephesum devictus.	
(Jul.?)	Classis Syracusana apud Lesbum a classe Thrasyli fugata.	Annus Dioclis (Ol. 92, 4) incipit circa d. 2. Jul. 409.
(Aestate?)	(Hermocrates Messanam pervenit, Syracusas frustra tentat, Selinuntem dirutam occupat?)	Strategi erant:
Auctumno.	Thrasylus Sestum profectus copias cum Alcibiade conjungit. Athenienses Lampsacum trajiciunt.	1. Thrasylus. 2. Alcibiades. 3. Thrasybulus (Nep. Alc. 5, 5; 6, 3 Thras. 1, 3; cf. Diod. XIII, 64, Xen. H. Gr. I, 4; 8 — 10).
Hieme 409/8.	Athenienses apud Abydum de Pharnabazo victores, ejus provinciam depraedantur.	
	Pylus a Lacedaemoniis recepta; Heracleotae, proditione Achaeorum, ab Achaeis caesi; Medi a Dario subacti.	4. Theramenes (Diod. et Nep. ll. ll.) 5. Menander.
	(Hermocrates ossa Graecorum Himera Syracusas apportat; Dio-	6. Anytus.

Anni belli Peloponnesiaci.	RES GESTAE.	Archontes et strategi Attici.
	cles in exilium actus; Hermocrates in Graeciam revertitur?).	(7. Leotrophides? Diod. XIII, 65.) (8. Timarchus? Diod. l. l.)
Annus XXIV. incipit circa 25. d. Mart. 408.	Athenienses Chalcedonem obsident.	
Vere. Aestate.	Athenienses Chalcedonios et Pharnabazum proelio devincunt, Selymbriam recipiunt, inducias cum Pharnabazo faciunt.	
	Legati Atheniensium Cyzicum abeunt.	Annus Euctemonis (Ol. 93, 1.) incipit circa 21. d. Jun. 408. Strategi erant: 1. Alcibiades. 2. Thrasylus. 3. Thrasybulus. 4. Theramenes.
Auctumno.	Alcibiades Byzantium obsidet.	
Hieme 408/7. Annus XXV. incipit circa 14. d. Mart. 407.	Pharnabazus cum legatis et Hermocrate Cyzico profectus Gordium pervenit ibique hiemat. Athenienses Byzantium expugnant.	
(Circa 15 d. Mart.?) Mart. et Apr.	Athenienses archaeresiis imperatores designant Alcibiadem, Thrasybulum, Cononem.	
	Pharnabazus cum legatis Gordio profectus Cyro in Phrygia obviam fit. Thrasybulus Thasum et alia Thraciae oppida recipit. Thrasylus Athenas pervenit; Alcibiades, in Caria praedatus, Samum et Parum abit; Lysander nauarchus Rhodum, inde Ephesum venit.	
Ineunte Majo.	Alcibiades, apud Gytheum paulisper commoratus, Athenas redit.	
(Aestate exeunte?)	Lysander Sardibus cum Cyro colloquitur.	Annus Antigenis (Ol. 93, 2.) incipit circa 10. d. Jul. 407.
Circ. 27. Sept.	Alcibiades mysteria celebrat.	Strategi erant:
Octobri.	Alcibiades magno exercitu Andrum, inde Samum contendit, Andrus a Conone obsessa.	1. Alcibiades. 2. Thrasybulus.
(407. Nov.?)	Legati Atheniensium Cyrum adeunt sed ab eo non admittuntur.	3. Conon. 4. Aristocrates.
(Hieme?)	(Hermocrates in introitu Syracusarum caesus; Syracusani classem Poenorum fugant, auxilium a Lacedaemoniis petunt.)	5. Adimantus. (Imperator extra ordinem constitutus Phanosthenes Andrius. Xen. H. Gr. I, 5, 18. Cf. Plat. Ion. p. 542.)
406. Febr.	Classis Atheniensium, absente Alcibiade, apud Ephesum a Lysandro victa.	

Anni belli Peloponnesiaci.	RES GESTAE.	Archontes et strategi Attici.
Circa 4. d. Mart.	Archaeresiis Thrasylus et novem alii strategi creantur.	
Circa 9. d. Martii.	Alcibiades exercitum deserit.	
Circa 18. d. Martii.	Conon Andro Samum profectus, imperium suscipit.	
Annus XXVI. incipit circa 2. d. April 406.	Callicratidas nauarchus, Ephesi suscipit imperium, classem quinquaginta navibus auget.	
Majo.	Poeni Agrigentum obsident.	
	Callicratidas convocato Spartanorum consilio dignitatem suam tuetur.	
Jun.	Callicratidas Sardes profectus Cyrum adire frustra conatur.	Annus Calliae incipit circa 29. d. Jun. 406.
Jun. exeunte.	(Archestratus, Diomedon, Erasinides, Leon imperium cum Conone partiuntur.)	Strategi e ant: 1. Conon.
Jul. ineunte.	(Archestratus moritur Mitylenis).	2. Leon qui Julio ab hostibus captus videtur.
Circa 20. d. Julii.	Callicratidas Methymnam expugnat.	
Circa 23. d. Julii.	Conon in portu Mitylenarum devictus, a Callicratida obsidetur.	3. Archestratus cui mortuo circa Julium mensem suffectus est Lysias, donec ei Septembri mense magistratus abrogatus est.
Circa 3. d. Augusti.	Erasinides nuntium obsidionis Athenas perfert.	
Circa 3. d. Sept.	Magna classis Atheniensium Piraeeo solvit.	
Circa 15. d. Sept.	Apud Arginusas pugnatur.	
Circa 25. d. Sept.	Octo imperatores Atheniensium jussu populi imperio decedunt, Philocles et Adimantus Cononi collegae dati.	4. Diomedon. 5. Pericles. 6. Erasinides. 7. Aristocrates. 8. Protomachus 9. Thrasylus. 10. Aristogenes. (His omnibus Septembri magistratus abrogatur, novique sufficiuntur strategi, ex quibus novimus duos: Adimantum et Philoclem.)
Circa 2. d. Oct.	Sex imperatoribus qui Athenas redierant, vincula injiciuntur.	
(Circa 13. d. Oct. 18. d. Pyaneps ?)	Apaturiis imperatores capitis damnantur.	
Ineunte Dec.	Agrigentum ab Himilicone captum.	
Hieme 406/5.	Conjuratio militum Peloponnesiorum ab Eteonico suppressa.	

Anni belli Peloponnesiaci.	RES GESTAE.	Archontes et strategi Attici.
Annus XXVII. incipit circa 22. d. Mart. 405.		
Vere.	Lysander imperium suscipit et Ephesi magnum cogit navium numerum.	
Aestate.	Cyrus a patre revocatus, Lysandro sua omnia tradit.	
	Lysander Cedreas expugnat.	
	Athenienses, ducibus Conone, Adimanto, Philocle, Menandro, Cephisodoto, Tydeo, pugnam parant.	Annus Alexiae incipit circa 18. d. Jun. 405.
(Augusto?)	Lysander Rhodo Hellespontum profectus, Lampsacum expugnat, Athenienses ad Aegospotamos devincit.	Strategi erant: 1. Conon. 2. Adimantus. 3. Philocles.
(Sept.?)	Lysander Chalcedone, Byzantio, Lesbo receptis in sinum Saronicum proficiscitur et Salaminem vastat.	4. Menander. 5. Tydeus. 6. Cephisodotus.
(Oct.?)	Athenae terra marique obsidentur.	(7. Strombichides? Lys. or. 13. adv. Agor. 13.)
Auctumno.	Dionysius tyrannidem occupat.	
404. Jan.	Theramenes legatus ad Lysandrum mittitur.	
Apr. ineunte	Theramenes Athenas revertitur.	(8. Dionysodorus? Lys. l. l.)
circa 15. d. Apr.	Legati Atheniensium pacem a Lacedaemoniis impetrant.	(9. Calliades? Lys. l. l. et or. 30. adv. Nicom. 14; compar. Diodor. XIII, 101.)
Circa 22. d. Apr. 14. d. Munych.	Athenienses portus, naves, muros longos hostibus dedunt.	Pro uno ex iis qu- pugna apud Aegospotamos capti aut caesi erant, suffectus videtur Eucrates (Lys. or. 18. s. 4.)
Annus XXVIII. incipit post 22. d. Apr. 404.)		
(Maj.?)	Lacedaemonii Samum obsident.	
Aestate.	Triginta viri Athenis constituti. Exercitus Peloponnesiorum Decelea decedit.	
3. d. Sept.	Lycophron Thessalos vincit.	
Sept.	Poeni Gelam et Camarinam capiunt; Dionysius equites Syracusanorum Catanam dimittit.	
Oct.	Lysander capta Samo Spartam revertitur.	

Theses.

I.

Quae de agris Laconicae inter Spartanos et perioecos a Lycurgo distributis Plutarchus narrat, falsa esse.

II.

Clisthenem novas phratrias constituisse.

III.

Nomothetas Atticos non a Solone sed ab Ephialte et Pericle constitutos esse.

IV.

Xenoph. H. Gr. I, 4, 16. sic legendum esse: „τοῖς δ' αὐτοῦ ἐχθροῖς, τοιούτους δοκεῖν εἶναι οἷουσπερ προσῆκον, ὕστερον δὲ δυνασθεῖσιν ἀπολλύναι τοὺς βελτίστους, αὐτοὺς δὴ μόνους λειφθέντας δι' αὐτὸ τοῦτο ἀγαπᾶσθαι ὑπὸ τῶν πολιτῶν, ὅτι ἑτέροις βελτίοσιν οὐκ εἶχον χρῆσθαι."

V.

Xenoph. H. Gr. I, 6, 4. ejicienda esse verba: „ἀπείρους δὴ θαλάττης πέμποντες καὶ ἀγνῶτας τοῖς ἐκεῖ κινδυνεύοιέν τι παθεῖν διὰ τοῦτο."

VI.

Aristoteli non esse abjudicandum libri de rep. II caput nonum.

TYPIS A. EDELMANNI, TYPOGR. ACADEMIAE.

Corrigenda.

p. V, l. 13. pro luna leg. lunae.
„ 13, „ 1. pro nde leg. inde.
„ 25, „ 5. pro annos leg. menses.
„ 29, „ 29. pro dilatum leg. dilatam.
„ 30, „ 32. post verba a Pharnabazo delenda est interpunctio.
„ 37, „ 19. pro Athens leg. Athenis.
„ 40, „ 21. pro magistrate leg. magistratu.
„ 43, „ 40. pro qua leg. quo.
„ 52, „ 15. delenda sunt verba: cum quinque recentibus navibus.
„ 57, „ 7. pro 412 leg. 411.